IN

RITUALE ROMANUM

Can. JO. BAPTISTA PIGHI S. Th. D.

LITURGIA
SACRAMENTORUM
ET
SACRAMENTALIUM

EDITIO TERTIA
QUAM AD REC. DECR. S. R. C. EDITIONEM
DIGESSIT
Sac. Doct. ÆMILIUS FERRAIS
Juris Canonici et S. Liturgiæ Professor.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VERONÆ
Sumptibus **FELICIS CINQUETTI**
Bibliopolæ Editoris Pontificii
MCMII

Transferred
July 1938
Cum Permissu Superior.

Jus proprietatis sibi vindicat Editor.

#2560

Ex Typ. Ep. G. Marchiori

BARTHOLOMÆUS

TITULO S. BARTHOLOMÆI IN INSULA

S. R. E. Presbyter Cardinalis BACILIERI

Dei et Sanctæ Apostolicæ Sedis Gratia

Episcopus Veronensis

.....

Opus, cui titulus **LITURGIA SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM** Reverendissimi Jo. Baptistæ Pighi Seminarii Nostri Professoris, tertio imprimi concedimus, illudque studio cleri nostri enixe commendamus.

In quorum fidem etc.

Veronæ ex Ædibus Episcopalibus
die 1 Junii 1901

✠ Card. B. BACILIERI Episc.

PRÆFATIO

Mutationes, quas Sacra Rituum Congregatio in novissimam suorum Decretorum editionem induxit, necessariam quoque reddiderunt emendationem librorum omnium de rebus liturgicis agentium. Etenim, non solum alia est in hac editione materialis Decretorum dispositio, sed et quædam olim data responsa frustra in ea quæruntur, et ubi duo, et forte non sibi cohærentia, responsa de eadem re ferebantur (unde sæpe variæ rubricistarum opiniones), nunc alterutrum suppressum fuit, aut mutatum, aut clarius explicatum. Quapropter, cum ipsa Sacra Congregatio suam voluntatem nunc authentice proposuerit, clerici in sacris ritibus ediscendis et sacerdotes in sacris functionibus peragendis, ut omne cavere possint errandi periculum, manualia præ oculis habere debent, quæ sint ad normas hujus novissimæ editionis digesta. Inde non inopportunum censui commentariola in Rituale Romanum, jam pridem edita, unico opusculo modo publicare, quod hodiernæ disciplinæ respondeat, præsertim cum virum invenerim eximium scientiæ liturgicæ cultorem, qui hanc sibi curam libenter

assumpsit. Ipse itaque tum textum, tum maxime adnotationes correctionibus, additionibus, lituris ita emendavit, ut Sacramentorum et Sacramentalium ritus ad normas præfatæ editionis expositi inveniantur: ipsius quoque erit, ut spero, Missale Romanum et Breviarium pari ratione quantocius illustrare.

Quoniam experientia novi præcedentes hujus commentarii editiones clero præsertim juniori probatas fuisse, ideo et hanc tertiam probatum iri confido; quin imo eam provectis sacerdotibus, non minus quam junioribus, perutilem fore existimo. Ceterum, quia in re sua quempiam recte judicare arduum est, et juniores et provectiores rogo, ut saltem bonam juvandi voluntatem non dedignentur.

Veronæ in festo Circumcisionis Domini 1901.

Can. Jo. Baptista Pighi.

PROLEGOMENA
DE RITUALI ROMANO

CAPUT I.
De Rituali ejusque materia.

1. A primis Ecclesiæ sæculis plures Libri exstiterunt ecclesiastica auctoritate confecti, quibus ritus et preces, ad sacra ministeria rite obeunda, continebantur. Ex his, quidam universam Sacramentorum et Sacramentalium Liturgiam continebant, et appellabantur *Sacramentaria*, *Sacerdotalia* vel *Ordines;* quidam unum vel alterum Sacramentum aut Sacramentale spectabant, a quo et nomen sumebant *Baptisterium, Pœnitentiale, Processionale*, etc: tum hi vero, tum illi sæpe, pro diversis Ecclesiis diversi erant, licet generatim Libri Romanæ Ecclesiæ ab aliis Ecclesiis Occidentalibus adhiberentur [1]. Eos ad unitatem revocare studuerunt plures

1) Cf. **Fr. A. Zaccaria** *S. J. Bibliotheca Ritualis Vol. I.*

ecclesiastici viri sæculi XVI.; nominatim Albertus Castellanus ex O. Præd., cujus ope Romæ prodiit a. 1537 *Sacerdotale ad consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ aliarumque Ecclesiarum*, et, paulo post, Franciscus Somarinus Beneficiatus Lateranensis, in opere *Sacerdotale sive Sacerdotum thesaurus ad consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum juxta Concilii Tridentini sanctiones:* maxime vero Cardinalis Julius Antonius Sanctorius, cujus Librum Ritualem, ad uniformem in Ecclesia sacrorum rituum administationem elucubratum, commendat Paulus V. in Brevi « *Apostolicæ Sedi* » die 27 Juni 1614.

Res demum perfecta fuit a Paulo V. Pontifice, qui nonnullis S. R. E. Cardinalibus commisit ut cum consilio eruditorum virorum, variisque tum antiquis tum recentibus Ritualibus consultis rebusque omnibus mature consideratis, quanta oportuerit brevitate, Rituale conficerent; illudque sub nomine *Ritualis Romani* edidit a. 1614, postquam receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in eo digestos conspexit.

2. Progressu temporis, quum nonnulla in eo Rituali desiderari viderentur, Benedictus XIV. emendavit quædam, quædam etiam adjecit, nominatim ritum Benedictionis Apostolicæ in articulo mortis a Sacerdotibus ad id delegatis impertiendæ. Nuper vero, quum plurimæ a S. R. Congregatione approbatæ fuissent novæ formæ benedicendi, illæ omnes ex decreto ejusdem S. C. collectæ sunt, et ad instar Appendicis adjectæ Rituali Romano [1], quod, eadem occasione ab eadem S. Congregatione iterum emen-

1) De hujus Appendicis auctoritate cf. *Ephem. liturg.* 1892 pag. 68, et *Il Monit. eccles.* Ser. I. *Vol. VII. P. II.* pag. 20.

datum, Romæ prodiit anno 1872. Exinde aliæ quoque benedicendi formæ adjectæ sunt, et adjicientur in posterum; nos pro norma sequemur recentiorem Editionem a Typographo Sedis Apostolicæ Friderico Pustet cusam Ratisbonæ.

3. Itaque Rituale Romanum est Liber apostolica auctoritate editus, quo continentur preces et ritus, quibus a ministris Ecclesiæ Sacramenta, Benedictiones, aliæque ecclesiasticæ functiones exercendæ sunt, Missa ac divino Officio exceptis. Hinc duplex dici potest materia contenta in Rituali: prior ad quinque Sacramenta spectat, quæ sacerdotalis muneris sunt, Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Matrimonium: altera ad Sacramentalia, cujus nomine tum Benedictiones, tum plures aliæ ecclesiasticæ functiones veniunt. Nos utramque partem illustrabimus; non quidem in rebus dogmaticis aut moralibus, quas Rituale attingit aliquando, sed in liturgicis tantum: data tamen occasione, obiter et brevissime licebit ad illas quoque divertere.

CAPUT II.

De auctoritate Ritualis Romani.

4. Quæres: Quanta sit Ritualis Romani auctoritas; seu, an illud sit de præcepto in sacris functionibus adhibendum exclusive?

Resp. Quamvis diversitas ritualis nihil officiat unitati fidei ac regiminis, imo, juxta S. Augustinum, ad pulchritudinem illius sponsæ conferat, quæ speciosa dicitur circumamicta varietatibus; negari tamen non potest ipsam fidei ac regiminis unitatem

firmius constitui et consolidari per unitatem rituale; tunc vero hanc esse maxime exoptandam, quum vires omnes adversæ ad unitatem fidei ac regiminis dissolvendam conspirent. Quapropter sapientissimum fuit consilium Patrum Tridentini Concilii, dein a Paulo V. perfectum, ut per editionem Ritualis Romani omnes Ecclesiæ particulares ad uniformitatem liturgicam cum Romana Ecclesia revocarentur eo tempore, quo earum unitas in fide sub regimine R. Pontificis maxime oppugnabatur.

Et quidem Paulus V., prudenti usus œconomia, abstinuit a rigoroso præcepto ferendo. Id patet ex tenore Brevis « *Apostolicæ Sedi,* » quod Rituali præfixum invenitur; et ex eo confirmatur, quod Ecclesiæ quamplures, absque ulla speciali S. Sedis concessione, censuerunt se posse per duo sæcula propriis Ritualibus uti [1]. Omnibus tamen Ecclesiæ Catholicæ filiis cordi esse debent sanctissima ejusdem Pontificis vota in Brevi « *Apostolicæ Sedi:* » « Hortamur in Domino venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos et dilectos filios eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum exsistentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum, tamquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent ».

At insuper præceptum implicite a Paulo V. latum esse, plures auctores docent, hoc ejus Breve

1) Cf. opusculum nostrum *Dell' autorità del Rituale Romano. Quest. I.* (Ediz. II). et **Lapini** *Istituz. liturg.* pag. 381 (Ediz. II); qui sententiæ nostræ accessit contra ac scripserat olim.

cum doctrina Concilii Tridentini comparantes. Ita sane in Conc. Trid. Sess. VII. can. 13: « Si quis dixerit *receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus* in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit ». Jamvero Paulus V. in citato Brevi « *Apostolicæ Sedi* » testatur in Rituali suo jussu edito « receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus » inveniri. Ergo eos non modo contemnere, sed et omittere, et immutare, peccato non vacat. Ex quo deducitur usum Ritualis Romani implicite et indirecte a Pontifice præscribi; quæ præscriptio, utpote indirecta et implicita, minime impedivit, quominus Ecclesiæ plures per duo sæcula et ultra Rituale Pauli V. non admiserint.

5. Ceterum nulli dubium, quin possint singuli Episcopi usum Ritualis Romani in propriis Ecclesiis præscribere, abrogando, quæ forte habuerint, Ritualia propria. Quod plures Episcopos et in Italia et in Galliis quoque jam perfecisse lætandum est; omnes brevi perfecturos optandum: « Sarebbe a desiderare che il Rituale Romano fosse esattamente seguito in tutte le Diocesi » [1]. Quinimo, ubi jam sit introductum, certissime ejus usus præceptivus est, adeo ut in hujusmodi casu S. R. C. declaraverit Canonicos aliosve Sacerdotes illæsa conscientia infringere aut omittere regulas præceptivas Ritualis Romani non posse, etsi Reverendissimus Episcopus aliter quidpiam permiserit, aut etiam statuerit [2].

1) Ita **Gousset** *Teologia Morale Vol. II.* num. 55.
2) S. R. C. 10 Jan. 1852, n. 2993, ad IV. Cf. **De Herdt** *S. Liturg. Praxis P. VI.* num. 141.

Et quoniam jam fere omnes Ecclesiæ ritus latini, votis RR. Pontificum obsequentes, Rituale Romanum adoptarunt, ideo cum Theologis recentibus affirmamus usum Ritualis Romani, generatim loquendo, nunc esse præceptivum [1].

6. Quæres: Quanta sit extensio auctoritatis Ritualis Romani: seu, an omnes ejus Rubricæ sint præceptivæ?

Respondeo: 1.° Rubricæ quæ spectant ad essentiam Sacramentorum (vel Sacramentalium), v. g. quæ determinant eorum materiam et formam substantialem, certe omnes sunt de præcepto. 2.° De præcepto quoque sunt illæ, quæ aliquid præscribunt aliunde jam præceptum, v. g. jejunium ante Communionem. 3.° Num præceptivæ sint *ratione sui* omnes illæ, quæ ab Ecclesia sunt institutæ ad convenientem administrationem Sacramentorum et Sacramentalium, controvertitur. Nos negativam sequimur sententiam, hisce ducti rationibus: *a*) Obligatio omnium et singularum Rubricarum non demonstratur; ergo nequit admitti; *b*) hæc est communis sententia fere omnium Theologorum et plurium Rubricistarum [2]; *c*) ipsa S. R. C. non raro in responsis ac declarationibus suis hac opinione usa est; *d*) rubricas quasdam ceu mere directivas

1) Cf. **Gury** *Comp. Theol. Mor. II.* 224; **Scavini** *Theolog. Mor. I.* 331, etc. Hoc sensu putamus accipiendam esse inter alias cit. responsionem S. R. C. 10 Jan. 1852.

2) Ex illis **Lehmkuhl**; « Quæ in Rituali Romano continentur, partim esse præcepta gravia, partim levia, *partim regulas mere directivas*... vix est quod dicam ». *Theolog. Moral. Vol. II.* n. 31 in nota. Ex his vide **De Herdt, O' kane** apud *Ephem. liturg.* 1889 pag. 313. Cf. opusc. nostrum, in cujus *Appendice Num. 63-69* citatos invenies centum auctores hanc sententiam sectantes.

habendas esse, sensus communis et docet et exigit [1].

Hæc resolutio de Rubricis *reductive* spectat etiam ad preces. Attamen, quum generatim Rubricæ directivæ pro objecto preces non habeant, ideo hæ generatim ut præceptæ haberi debent [2]; nisi aliter ipsâ formâ Rubricæ indicetur, ut eâ *dicere poterit*, etc. Ex communi Theologorum consensu, obligatio Rubricarum præceptivarum, et proinde precum quæ sint earumdem objectum, habetur ut gravis *ex genere suo*.

CAPUT III.

De normis quibus discernuntur Rubricæ præceptivæ a directivis.

7. Quatuor normæ assignantur. Prima est ipsa forma loquendi Rubricæ. Ubi verbum adhibet formæ imperativæ, vel addita voce *debet*, multo magis si in forma negativa loquitur, vel a fortiori si dicit Sacerdotem aliter agentem peccare, Rubrica habenda est tamquam præceptiva. E contra, ubi adhibet verbum formæ indicativæ, Rubrica poterit esse directiva, nisi eam esse præceptivam constet ex normis sequentibus. Directiva quoque erit, si eâ formâ utitur *dicere poterit*, *curabit*, etc.; vel si conditionatas quasdam formas adhibet, ut ex. gr. quum Tit. IV. Cap. 4, n. 9 pluviale albi coloris præscribit, *si haberi potest;* multo magis, quum Tit. I. n. 6.

1) De his fuse in opusculo nostro cit. *Quæst. II.* et apud *La civiltà catt.* in articulis *Le Rubriche* etc. Serie XIV. Vol. XII.

2) Hac de causa Sacerdos, juxta monitum Ritualis « memoriæ, quæ plerumque labitur, non facile confidet, sed omnia recitabit ex libro ». *Tit. I. Cap. unic. n. 11.*

monet Sacerdotem, ut, antequam Sacramenta ministret, paullulum, *si opportunitas dabitur,* orationi vacet, etc.

Secunda norma repetenda est ex materia. Præter ea quæ sunt de essentia Sacramenti, quæque proinde sunt evidenter præceptiva, talia quoque sunt quæ conferunt sive ad ritus integritatem, sive ad debitam reverentiam. Tales sunt Rubricæ præscribentes ut Aqua pro Baptismo munda sit, Olea fonti baptismali infundenda sint eo anno consecrata, vasa pro sacris Oleis argentea vel saltem stamnea sint, sacræ unctiones fiant in Baptismo solemni, vestes sacræ adhibeantur, etc.; secus vero ea, quæ dicit *omnia ex libro* esse recitanda; quædam enim memoriter possunt recitari, imo expedit.

Tertia norma, et quidem ceteris omnibus præstantior et indiscutibilis, est declaratio quæ circa Rubricam Ritualis data sit a S. C. R. Huic enim Congregationi, a Syxto V. a. 1587 institutæ, data est facultas interpretandi Rubricas et omnia dubia declarandi, quæ circa sacros ritus ubique terrarum insurgerent: unde Decreta et Declarationes, quæ ab ipsa S. Congregatione eduntur, eamdem habent auctoritatem, ac si immediate ab ipso summo Pontifice promanarent [1]. Porro non semel hujusmodi Congregatio, interrogata circa obligationem alicujus Rubricæ, eam minime urgere declaravit. Ita v. g. licitum dixit usum stolæ bicoloris in Baptismo administrando [2], quamvis Rubrica Ritualis Tit. II. Cap. 2, n. 16, dicat non quidem *vertit stolam,* sed *deponit stolam, et sumit aliam albi coloris.*

1) Eadem S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2916.
2) S. R. C. 26 Martii 1859, n. 3086, ad VII.

Postrema norma in re liturgica, non minus quam in morali, desumitur a communi sententia probatorum auctorum, qui circa alicujus Rubricæ naturam conveniant. Si consensus theologorum in interpretationes legis ecclesiasticæ aut etiam divinæ valet in quæstionibus moralibus, in præsenti quoque valere debet, quæ moralis est. Hanc normam ipsa S. C. R. frequenter indicat, quum ad proposita dubia respondet consulendos esse probatos auctores.

8. Quod si ex prædictis regulis, de natura cujuspiam Rubricæ judicium ferri nequit, in subsidium invocari potest doctrina SS. Thomæ et Alphonsi [1], aliorumque ferme omnium Doctorum, quod, quum lex dubia sit, vim obligandi non potest habere. Ceterum optandum sane est, ut Sacerdotes omnes in celebratione Divini Sacrificii et administratione Sacramentorum Rubricas omnes ad apicem observare et sequi studeant, sive præceptivæ sint, sive mere directivæ; exempla sanctorum virorum Caroli Borromæi, Francisci Salesii, Alphonsi de Ligorio imitentur, zelumque S. Teresiæ æmulentur, quæ vel pro minima Ecclesiæ cæremonia se vitam libenter profusuram testatur. Omnes denique prae oculis habeant et sedulo perpendant tum Breve Pauli V. Rituali Romano præfixum, tum sapientissimam sanctionem Tridentini Concilii: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema

1) **S. Alphonsus** *Theologia Moralis L. I. Tract. II. cap. I.* et *Homo Apost. Tract. I. n. 33 seqq., XVI. n. 29.*

sit » [1]. Insuper, quamvis violatio cujuspiam Rubricæ *per se* non sit peccatum, tamen Rubricas etiam directivas contemnere aut parvipendere, et inde habitualiter negligere, peccato non caret. *Sancta sancte tractanda sunt* [2].

Hæc ostendunt quam falsum et perniciosum sit quorumdam Sacerdotum axioma, heu nimis frequenter auribus objectum: nihil in Sacramentis conferendis timendum esse, dummodo omnia essentialia attendantur; at simul evincunt non inutile pluribus esse posse præsens Commentariolum.

1) *Conc. Trid. Sess. VII. Can. 13.*
2) Cf. **Lapini** *Op. cit. Lez. 23* pag. 386 et seqq.

PARS PRIOR

LITURGIA SACRAMENTORUM

TITULUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

De Liturgia Sacramentorum.

9. *Sacramentum* a Concilio Tridentino definitur «Symbolum rei sacræ, et invisibilis gratiæ visibilis forma » [1]; a Theologis communiter « Signum sensibile a Christo Domino institutum ad significandam et conferendam gratiam ». Patet nobis agendum esse tantum de functione externa, in qua signum sensibile consistit; ad eam enim tantummodo spectat sacra Liturgia.

Quoniam Christus ipse, Sacramenta instituens, eorum materiam ac formam determinavit, eorumdem vero administrationem Ecclesiæ commisit; ideo in singulis Sacramentis ministerium externum duabus partibus constat: eâ nempe quam Christus ipse determinavit, eâ insuper quam Ecclesia, sub adsistentia Spiritus sancti et auctoritate sibi a Christo Domino concessa, adjecit: illa ad essentiam Sacramentorum pertinet, hæc ad pleniorem fructum in suscipiente, ad instructionem adstantium, ad reverentiam rei sacræ convenientem. Itaque cæremoniæ quædam a Christo constitutæ sunt, qui, ad conditionem humanæ naturæ condescendens, voluit donum

1) *Conc. Trid. Sess. XIII. Cap. III.*

gratiæ, utique spirituale, per corporalia instrumenta et signa nobis conferri: « Si incorporeus esses, nuda tibi illa et incorporea dona tribuisset: sed quia corpori conjuncta est anima, in sensibilibus spiritualia tibi largitur » [1]. Hæc est Liturgia, quam dicere possumus *juris divini,* quam omnino servari necesse est; adeo ut, si quid ex ea omittatur, aut mutetur, valor ipse Sacramentorum in discrimen adducatur.

Verum adest et Liturgia *juris ecclesiastici.* Ecclesia enim varias cæremonias et preces in Sacramentorum ministerio obeundas instituit, partim quidem et plurimas a tempore Apostolorum, partim temporibus sequentibus ex Decretis RR. Pontificum et Conciliorum; quarum cæremoniarum et precum omissio aut mutatio non quidem Sacramenta ipsa irritabit, at conscientiam ministri plus minusve inquinabit. Hi ritus, qui proprie *accedentia Sacramentorum* appellantur, dividuntur ita, ut alii et significent et efficiant, v. gr. sacræ unctiones, alii mere significent, v. gr. usus candelæ accensæ in Baptismo solemni; illi proprie sunt Sacramentalia, hi nonnisi improprie. Patet facilius et gravius peccari posse si illi, quam si isti omittantur, aut mutentur [2].

10. In exponendis sacrorum rituum significationibus duo, ni fallimur, sunt extrema vitanda. Primum eorum auctorum est, qui inconsulta quadam pietate in minutissimis quibuscumque cæremoniis maxima volunt esse recondita mysteria; dum constat quædam instituta fuisse ratione ordinis et con-

1) **S. Joannes Chrysostomus** *Hom. LXXXV. in Matth.* Cf. *Catech. Rom. P. III. Tit. De Sacram. in gen. n. 16.*

2) Cf. **S. Thomas** *Summa theol. P. III. Qu. 71, art. 3 ad 4,* et **Suarez** in h. l.

venientis decoris, non symboli aut mysterii [1]. Aliud et longe periculosius extremum est eorum, qui, naturalismum quemdam in sacra introducere studentes, contendunt ritus omnes a causis physicis originem traxisse, mysticos vero sensus posterius et per nefas invectos. Id primum commenti sunt Protestantes et Jansenistæ, quos inter alios incaute secutus est Claudius De Vert ex O. S. Benedicti, eruditissimus quidem, at nonnihil Jansenizans. Contra hos afferre sufficiat doctrinam Concilii Tridentini, quæ licet immediate Sacrosanctum Missæ Sacrificium respiciat, tamen ad universa sacrorum ministeria referri debet: « Quum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam,.... instituit: cæremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum contemplationem excitarentur » [2].

11. Rationes, quibus Ecclesia sacras cæremonias in administratione Sacramentorum instituit, duæ potissimæ sunt: *a*). In externis cæremoniis habetur actus cultus externi, qui, quum ab Ecclesia sit institutus et Deo nomine Ecclesiæ exhibeatur, Deo gratissimus est. Insuper *b*) utilitas maxima inde provenit tum suscipientibus, tum ceteris; quum per eas cæremonias efficacia Sacramenti oculis ve-

1) Cf. quæ summo sacræ Liturgiæ emolumento Romæ eduntur *Ephemerides liturgicæ* a. 1887. pag. 131 et seq.
2) *Conc. Trid. Sess. XXII. Cap. V.*

luti subjiciatur, ac ita, fide excitata, et erga Sacramentum veneratio promoveatur, et fidelium devotio inflammetur [1]. Confirmatur inde necessitas, qua sacri ministri tenentur non modo preces omnes distincte ac devote recitare, sed et cæremonias ipsas ad apicem usque perfectissime observare, ne sancta Ecclesiæ consilia per ignaviam Sacerdotum frustrentur; eo vel magis, quod non preces modo, sed et actiones ipsæ effectus spirituales eosque multiplices operantur [2]. Item Parochis cordi esse debet, ut juxta præscriptionem Tridentini Concilii cæremoniarum significationes diligenter fidelibus explicent, præ oculis habentes doctrinam SS. Patrum, maxime vero Catechismi Romani, quem Parochis familiarem esse oportet.

CAPUT II.

De his quæ ex parte ministri requiruntur.

12. Quæ a Sacerdote Sacramenta conficiente requiruntur, ad hæc duo capita reduci possunt: *a*) Ut *dignus* ministret; *b*) ut ministret *digne*.

a). « Meminisse semper debent (Pastores aliive Sacramentorum ministri) Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis inest, numquam amittere; at vero impure ea ministrantibus æternam perniciem et mortem afferre. Sancta enim, quod semel atque iterum ac sæpius admonere oportet, sancte et religiose tractanda sunt... Quantum ab eo scelus

1) Vide quæ de Ariano Imperatore Valente narrat S. Gregorius Nazianz. apud **Baronium** *Ann. eccles. ad a. 370 n. 46.*
2) Cf. **August. Valerius** *Thesaur. piarum Instit. P. III. § 1.*

concipi existimandum erit, qui sibi multorum scelerum conscius est, nec tamen sacra mysteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus sumere, contrectare atque aliis porrigere et ministrare vereatur? Quum præsertim apud S. Dionysium scriptum sit malis symbola ne contingere quidem permissum esse. Sanctitatem igitur sacrarum rerum ministri in primis sectentur, pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu uberiorem in dies gratiam, adjuvante Deo, consequantur » [1]. Consonat omnino Rituale Romanum, quod insuper practicam addit conclusionem doctrinæ omnium Thelogorum prorsus conformem: « Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit), ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat (utique perfecte); sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri » [2].

Quamvis verum sit, reatum sacrilegii gravis abesse, quoties Sacerdos Sacramenta etiam ministrat solemniter expers peccati mortalis; quisque tamen videt aliqualem irreverentiam in res adeo sacras committi ab eo qui venialibus inquinatus easdem pertractet. Hinc numquam satis commendanda eorum Sacerdotum piissima praxis, qui Sacramenta confecturi student se ad perfectum commissorum omnium dolorem excitare, probe cogitantes se pretiosissima ea dona pertractare, quæ ex perfosso latere Christi promanarunt.

13. Dignior adhuc erit minister, uberioremque

1) *Catechismus Romanus P. II. De Sacram. in genere n. 26.*
2) *Rit. Rom. Tit. I. Cap. unic. n. 3, 4.* De his fusius Theologi morales.

ex ministerio suo gratiam consequetur, si a lethalibus et a venialibus immunis, se positive ad Sacramenta ministranda disponat, orationi et rei sacræ quam acturus est meditationi vacando, prout monet Rituale n. 6.

14. *b*) Ut dignus minister ministret etiam *digne*, requiritur in primis ut ea omnia observet quæ ad essentiam Sacramenti spectant: debitam nempe materiam et formam adhibeat, habeatque intentionem faciendi quod facit Ecclesia. De his lectorem remittimus ad auctores Theologiæ Moralis: potiora tamen suis in locis indicabimus. Præter hæc:

15. Ad Sacramentum digne ministrandum conferunt in primis monita Ritualis, ut Sacerdos prius ordinem ministrandi et cæremonias prævideat et perlegat, et, memoriæ non facile confidens, omnia legat ex Rituali libro, quem propterea secum habebit.

Vestibus convenientibus Sacerdos indutus sit. Porro vestis duplicis generis est, *vulgaris* nempe et *sacra*. Quoad priorem, licet nihil habeat Rituale, ea debet esse talaris, saltem quatenus conditiones viarum permittunt: ea enim sola est vere ecclesiastica, et generatim synodales constitutiones illam præscribunt. Quoad alteram, Rituale præscribit, ut Sacerdos « in omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris quem Sacramenti ritus exposcit » [1]. Hinc etiam Canonici et alii qui ex privilegio usum habent rocchetti, mozzettæ vel cappæ, quum Sacramenta ministrant debent ista deponere, et superpelliceum dumtaxat cum stola induere: tantum possunt Ca-

1) *Rit. Rom. Tit. I. Cap. unic. n. 7.*

nonici superpelliceum superimponere rocchetto, quod pro usu chorali jam deferant [1].

16. Quum vestes sacræ pertineant ad reverentiam debitam Sacramentis, Doctores omnes consentiunt Rubricam istam esse vere *præceptivam,* a qua tamen dari quandoque potest causa excusans. De singulis suo loco.

Denique curandum est Sacerdoti, ut dum Sacramentum ministrat, singula verba, tum quæ ad formam, tum quæ ad ministerium pertinent, attente, distincte et pie atque clara voce pronuntiet; item cæremonias ac ritus ita decenter gravique actione peragat, ut adstantes et attentos reddat, et ad cœlestium rerum contemplationem extollat. Rit. Rom. ibid. n. 11.

CAPUT III.

De iis quæ in ipso ministerio requiruntur.

17. Hæc ad duo capita reducuntur, quæ tamen non ad omnia et singula Sacramenta sunt referenda.

Inter omnia Sacramenta unum est quod quemcumque inservientem excludit, nempe Sacramentum Pœnitentiæ; hoc enim, quum ad instar judicii institutum sit, totum inter Sacerdotem et pœnitentem peragitur; ita ut ille Judicis, hic rei et accusatoris et testis personam gerat. Cetera Sacramenta communiter exigunt inservientem, qui Clericus sit; at in ejus defectu laicus admitti potest. Duo circa

1) S. R. C. 12 Nov. 1831. n. 2684, ad XXII. et 12 Iulii 1892, n. 3784.

inservientem exigit Rituale, at plura profecto supponit. Exigit ut decenti habitu et superpelliceo, proinde et veste talari sit indutus: utrumque enixe curent Parochi, et non difficile consequentur, maxime in iis Sacramentis in quibus quidpiam inservienti obvenire solet. Profecto supponit inservientem, sive puer sit, sive adultus, bonis moribus commendari, modeste ac devote sacras prosequi functiones, apprime quid agendum quidve sit respondendum agnoscere, etc. Quid agere debeat Sacerdos in defectu inservientis, an et quatenus femina inservire possit, in ritu singulorum Sacramentorum exponemus.

18. Item fere omnia Sacramenta propriam supellectilem exigunt; de qua hæc habet Rituale l. c. n. 9. « Curabit (Parochus vel quilibet Sacerdos), ut sacra supellex, vestes, ornamenta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda ». Quam provida sit hæc Ritualis adhortatio meno non videt; at nimis quoque esse necessariam, nemo diffitebitur. Quisquis sanctitatem Sacramentorum ad lumen fidei consideret, numquam satis ignaviam quorumdam Parochorum deplorabit, qua fit, ut ea vasa eaque linteamina in sacris ministeriis conspiciantur, quæ nec in mensa communi, nec in ceteris humanæ vitæ usibus tolerarentur. « Nimis videtur absurdum, ait Innocentius III., in sacris sordes negligere, quæ dedecerent in profanis » [1]. Nimis communis est abusus, quem jam suo tempore lugebat Card. Bellarminus: « Alicubi sacra vasa et vestes quibus Mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniuntur, indigna prorsus quæ ad tremenda Mysteria adhibeantur... Si pretiosa non

1) *Conc. Lat. IV. Cap. II. De custodia Eucharistiæ.*

sunt, saltem munda sint et nitida » [1]. Inferius acriter in eos Pastores invehitur, « qui, exteriore turpitudine et sordibus, animi sui impuritatem sordesque testantur ».

1) In Opusc. *De gemitu columbæ L. II. Cap. V.* — Opportunum heic erit advertere, apud auctores quosdam recentes media edoceri, quibus et linteamina, sive serica, sive linea, et rasa, tum argentea, tum stannea maculis et sordibus purgari queant. Vide **Jos. Mach. S. I.** *Tesoro del Sacerdote Trattato X. Cap. I.* et **Io. M. Sanna Solaro S. I.** *Acquisto, conservazione, ristauro degli Arredi Sacri.*

TITULUS II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

CAPUT I.

De Baptismo, ejusque ritibus in genere.

19. Baptismus primum inter Sacramenta locum tenet, eo quod vitæ spiritualis janua est [1]; adeo ut nisi quis renatus fuerit ex Aqua et Spiritu sancto non possit introire in regnum Dei. Definitur « Sacramentum regenerationis per Aquam in verbo » [2]. Nomen Baptismi, ex voce græca desumptum, indicat modum olim communem baptizandi per immersionem; ceterum ejus ethymologica significatio extenditur ita, ut quodcumque lavacrum, vel ablutionem comprehendat [3].

20. Ad essentiam Baptismi, præter subjectum capax, requiruntur hæc tria: Minister, materia,

1) **Eugenius IV.** in *Decreto pro Armenis.*

2) *Catech. Rom. P. II. De Sacram. Bapt. Cap. II. n. 5.*

3) Quamvis usque ad sæculum XIII. communiter Baptismus per trinam (alicubi per unicam) immersionem conferri consueverit, tamen et Baptismi per infusionem vestigia ex primis sæculis habentur. Cf. quoad sæculum III. *Acta S. Romani* apud **Bolland.** *Acta SS. Augusti Tom. II.* pag. 410; quoad II. vol. I. **Minasi S. J.** *La Dottrina del Signore* pag. 21, 209. Rom. 1891. Probabile est Petrum per aspersionem baptizasse Cf. *Catech. Rom.* loc. cit. n. 17, et *Tract. De admin. Sacram. n. 34,* Mechl. 1890.

forma. Minister potest esse *quilibet homo*, dummodo intentionem habeat faciendi quod facit Ecclesia. Materia remota est *Aqua quælibet;* ille liquor, qui ex communi loquendi modo Aqua nuncupatur: materia proxima est ablutio subjecti cum Aqua; hæc ablutio, quoad possibile est, fiat in capite. Forma his verbis consistit: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti;* sive latino sive vulgari sermone proferantur: quæ verba tunc sunt proferenda, ab ipso baptizante, quum subjectum abluitur. Ceterum ad instruendos hac de re fideles, pro casu necessitatis, Parochi consulant auctores Theologiæ Moralis.

21. Hæc Baptismi Liturgia *juris divini.* Verum et Ecclesia ritus ac cærimonias plures instituit, quibus solemnis collatio Baptismi tum uberioris fructus quoad subjectum, tum praticæ instructionis quoad omnes, exsistat. Liturgia hæc *juris ecclesiastici* quoad summam antiquissima est; adeo ut et in monumentis sæculorum priorum appareat, et non sine gravi fundamento auctores habuisse Apostolos credatur [1]: tanti vero fit ab Ecclesia, ut in solenni Baptismi administratione eam aut penitus aut in parte notabili prætermittere peccato mortali non vacet; imo et mortale sit eam omittere vel etiam notabiliter differre, si infans in necessitate privatim baptizatus supervivat. — De hac Liturgia *juris ecclesiastici* nobis agendum.

1) Cf. **Lapini** *Op. cit.* Lez. III. **Duchesne** *Origines du culte chrét. Chap. IX.*

CAPUT II.

De Ministro Baptismi.

22. Quamvis quilibet homo valide baptizare possit et in casu necessitatis debeat, tamen etiam in hoc casu observandum est statutum Ritualis Romani: « Si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminæ, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum (licet Clericum vel Sacerdotem) baptizare infantem non omnimo editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi... Pater et mater propriam prolem baptizare non debent, præterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet » [1]. In hoc casu femina præferatur patri.

Minister solemnitatis ordinarius est quilibet Sacerdos, extraordinarius potest esse et Diaconus: minister tamen legitimus est solus Parochus [2], vel Sacerdos a Parocho vel ab Ordinario loci delegatus. Delegari quoque potest Diaconus, qui vi Ordinationis sacræ potestatem accepit baptizandi: delegari tamen non potest absque causa, quam alii gravem esse volunt, alii dumtaxat mediocrem.

23. Sacerdos (vel Diaconus) baptizaturus duo prius præstare debet; manus nempe abluere, et sacris vestibus indui. Quæres, num Rubrica *lotis manibus* sit præceptiva, an directiva?

1) *Rit. Rom. Tit. II. Cap. I. n. 13, 14.*

2) Parochus nempe ejus Paræciæ in qua mulier peperit, si hæc ibi domicilium habet; sin quasi domicilium, parochus hujus, vel domicilii; et si ibi neutrum habet, quem parentes elegerint. **D'Annibale.** *Summula. III. n. 273.* At si Paræcia propria multum absit, Parochus loci baptizat, ne diu differatur.

Resp. Si manus immundæ sint, est certo præceptiva; mundities enim præscribitur ad reverentiam debitam Sacramento, intuitu præsertim sacrorum Oleorum, quibus corpus baptizandi inungendum est; secus videtur esse directiva.

Vestes sacræ sunt superpelliceum (etiam si Canonicus baptizet) et stola violacea, postea in albam mutanda. Ratio coloris violacei petenda est ab exorcismis, qui usque ad unctionem cum Oleo catechumenorum iterantur.

« Sacerdos in administrando Sacramento Baptismi licite uti potest stola bicolori, ex una parte violacea et ex altera alba, juxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quæ colorem præferat a Rituali præscriptum » [1]. Patet utramque stolæ partem sericam esse debere.

24. Addit ibidem Rituale n. 51: « Clericum unum, seu plures, si potest, secum adhibeat superpelliceo pariter indutos, qui sibi ministrent ». Duo adhibendi esse videntur ministri inservientes, sive Clerici sint, sive laici veste talari et superpelliceo induti: unus ad orationes Sacerdotis respondeat, nisi ex Rubrica respondendum sit a Patrino, et simul super bacile deferat vasculum Salis et linteolum pro digitis abstergendis ab initio ad januam Ecclesiæ, dein, item super bacile, vascula Olei catechumenorum et Chrismatis cum eodem linteolo in Baptisterio: alter birretum teneat Sacerdotis, linteolum superimponendum capiti baptizati et cereum. In celebratione hujus Sacramenti facile Parochus exigere poterit, ut pueri inservientes vestibus clericalibus se induant.

1) S. R. C. 26 Martii 1859, n. 3086, ad VII. Si Diaconus baptizet, stolam transversam deferat.

CAPUT III.

De Patrinis.

25. Quum Baptismus sit spiritualis regeneratio, qua filii Dei nascimur, a primis temporibus Ecclesiæ institutum est, ut ad hoc Sacramentum Patrini admitterentur: eorum mentio primo recurrit penes Tertullianum, a quo *Sponsores* seu *Fidejussores* et *Susceptores* appellantur [1].

Unus aut, ad summum, duo possunt admitti. Si unus, hic potest esse vel vir vel femina indifferenter, etiam vir pro puella, femina pro puero, licet conveniens sit sexus identitatem servare. Si duo, vir et femina esse debent; non duo viri, aut duæ feminæ. Neque ulla requiritur aetas, nisi ea qua pares sint officio suo explendo. In Patrinis et Matrinis admittendis diligenter Parochus attendat quæ exiguntur a Rituali: ulterius petere et hortari quidem poterit, exigere non poterit [2]. Attendat etiam quæ ex recentibus Romanarum Congregationum responsis auctores docent circa casus hodie nimis frequenter contingentes [3], et, quoad potest, nihil

1) **Tertull.** *De Baptismo Cap. 18.* Cf. *Cat. Rom. De Bapt. n. 25.*

2) In particularibus constitutionibus synodalibus, etiam Sacerdotes et Clerici, sine speciali sui Episcopi licentia, a munere Patrini gerendo sæpe prohibentur.

3) Cf. Responsa S. Pœnit. 5 Julii 1856, et 10 Dec. 1860 apud **Berengo** *Enchir. Paroch. P. II. n. 80,* et omnes recentes Auctores Theologiæ Moralis. Disces inde, peccare quidem qui hoc munere per leges Ecclesiæ prohibiti, eo per nefas fungi velint; Parochum tamen non semper ad eos omnes excludendos teneri, sed eos tantum (præter infideles et hæreticos) quos *publice constat* esse, aut nominatim et expresse litigatos censurâ, aut criminosos vel infames; imo nec sub quovis periculo quoad istos quoque teneri.

inconsulto Episcopo determinare audeat. Patrinos de vinculo spiritualis cognationis cum filiolo ejusque parentibus, non vero inter se, admoneat et, si opportunum judicat, de obligationibus erga filiolum spiritualem contractis. Etiam per procuratorem quis potest munus gerere Patrini, quo casu ipse contrahit spiritualem cognationem, non ejus procurator [1].

26. Quod ad partem liturgicam spectat, ut Patrini tales revera sint, necesse est ut infantem in actu quo baptizatur vere teneant: si duo sunt, dum alter eum gerit in ulnis, alter super ipsum manum teneat. Qui puerum defert, eum ita gerat in ulnis, ut caput sit super brachium dexterum; tum quia dextera nobilior pars est, tum quia hæc positio opportunior est Sacerdoti baptizaturo. Item ad Patrinos pertinet Sacerdoti nomine baptizandi respondere, quoties id notatur in Rubrica Ritualis, cum Sacerdote Symbolum Apostolicum et Orationem Dominicam recitare, accipere a Sacerdote et manu dextera tenere candelam accensam, etc.

27. Poteritne una eademque persona et baptizare et suscipere?

Id negant Salmanticenses, improbat Scavini, qui tamen refert alicubi in montanis regionibus ex defectu Patrinorum id a Parochis fieri, quin Prælati reclament [2]. Rituale obstare videretur.

Quæres demum, num Rubrica de Patrinis adhibendis, eorumque numero et sexu, sit præceptiva?

1) S. C. C. 29 Martii 1852.

2) *Theol. Mor. L. III. n. 893:* cui consentire videtur S. R. C. 14 Jun. 1873, n. 3305, ad III. Adverte abusum esse, quod idem sit Patrinus in Baptismo et in Confirmatione: insuper optandum ut singuli Patrini pro singulis baptizandis aut confirmandis adhibeantur. S. C. Conc. 16 Febr. 1884.

Respondeo: Ex communi Doctorum consensu habenda est præceptiva in Baptismo solemniter collato, et quidem sub gravi quoad primam et alteram partem, probabiliter sub levi quoad tertiam [1].

CAPUT IV.

De Baptisterio, et de Aqua ejusque Benedictione.

28. Baptisterium appellari modo consuevit vas in quo Aqua baptismalis conservatur [2]. De quo vase hæc statuit Rituale Cap. I. n. 30: « Baptisterium sit decenti loco et forma, materiaque solida, et quæ Aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera et clavi munitum, atque ita obseratum, ut pulvis vel aliæ sordes intro non penetrent; in eoque, ubi fieri potest, depingatur imago Joannis Christum baptizantis ».

Sit itaque in Ecclesia loculus, non undequaque muro, sed saltem ex parte cancellis sejunctus, in quo vas Aquæ baptismalis asservetur: cancelli sera et clavi muniantur, vas ita obseretur ut nec pulvis, nec aliæ sordes intus penetrare valeant; imago S. Joannis in pariete loculi depingatur, aut sculpta

1) Cf. **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. Tract. II. n. 154* seqq. Attamen deficientibus absolute Patrinis, non ideo solemni Baptismo est substituendus privatus, sed vel Parentes munus illud, materialiter saltem, gerant vel omittantur illi tantum ritus qui ob talem defectum poni non possunt. S. C. de P. F. 15 Sept. 1869.

2) Quandoque nomine Baptisterii venit sive ædes separatim exstructa, sive loculus ab ambitu Ecclesiæ cancellis communiter distinctus, in quo vas ipsum Aquæ baptismalis custoditur.

ejus effigies, ubi fieri potest, apponatur: ipsa enim forma loquendi subindicat Rubricam non præcipere taxative picturam.

Baptisterium (siquidem hoc nomine vas appellemus) sit interius in duas cavitates divisum, ita ut anterior vacua possit Aquam ex capite baptizati excipere et in sacrarium demittere, posterior Aquam baptismalem contineat: quod si vas indivisum sit, poterit Aqua ex capite baptizati in pelvim recipi, et in sacrarium refundi.

De conopeo nihil habet Rituale; auctores tamen consentiunt conopeo albi coloris operculum Baptisterii in forma coni aut pyramidis exstructum circumvolvendum esse; quoad materiam, admittunt ex serico, vel etiam ex tela esse posse.

29. Quibusnam Ecclesiis jus competat Baptisterii, non est nobis discutiendum; regulariter, ex præsenti disciplina, omnibus et solis Ecclesiis parochialibus; ceterum statuta diœcesana et consuetudo in hac re veram legem constituunt.

In Baptisterio, et non alibi, conservanda est Aqua pro Baptismo solemniter conferendo. Cavendum itaque est, tum ne Aqua foris defluat, tum quoque ne pulvere aut sordibus inquinetur; quare sedulo et omni diligentia Baptisterium quolibet anno purgandum et abluendum est, et Aqua quoad fieri potest purissima in illud infundenda.

30. Duplex habetur Aquæ baptismalis Benedictio: altera in Missali Romano peragenda in Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes, alia in Rituali. De priori conferatur Missale: duo tantum advertimus: *a*) Si Sabbato sancto nondum nova Olea advenerint, Parochus infusionem Oleorum omittat, illa subinde privatim et separatim in Aquam cum precibus Missalis infusurus; quod si, aut statim sit

Sacramentum Baptismi conferendum, aut attentis circumstantiis difficulter nova Olea recipi posse videantur, Oleis anni superioris utatur [1], et Aqua sic benedicta conservari debet usque ad vigiliam Pentecostes, etiamsi nova inde Olea superveniant. *b*) Aqua Fontis baptismalis renovanda et solemniter benedicenda est non solum in Sabbato sancto, sed etiam in Vigilia Pentecostes, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, quæ omnino eliminari debet [2]; et clero deficiente, vel impedito, applicari potest regula a S. C. data pro filialibus Ecclesiis, seu utendi Memoriali Rituum Benedicti XIII. [3]. Quod si tempore intermedio Aqua tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate: item in minori quantitate tempore hiemali aqua naturalis tepefacta admisceri potest Aquæ baptismali in vasculo ad id parato, ne noceat infantulo.

31. Altera Benedictio Fontis habetur in Rituali Romano Tit. II. Cap. 7. post ritum servandum quum Episcopus baptizat. Hæc forma Benedictionis adhibenda est extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes, quando Aqua consecrata non habetur, quum scilicet hæc corrupta fuerit, aut effluxerit, aut quovis modo defecerit. Circa ritum observandum remittimus ad Rituale; subjicimus præsens Responsum Congrega-

1) S. R. C. 12 Apr. 1775, n. 2436, ad III, 13 Sept. 1837, n. 2773, ad I et III, 19 Sept. 1850, n. 3092, 31 Ianuar. 1896, n. 3879.

2) S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2878, 13 Apr. 1874, n. 3331.

3) S. C. R. 13 Januar. 1899, n. 4005. Eadem S. R. C. 7 Apr. 1832, n. 2690, ad I, consuetudinem ex speciali gratia adprobavit, Aquam benedicendi in vase separato, in fontem inde mittendam ante Oleorum infusionem.

tionis S. Officii: « 1. Utrum valide baptizetur cum Aqua, quæ, etsi suam liquiditatem omnino servet, magnum tamen et injucundum fœtorem exhalat? 2. Utrum posita validitate Baptismi... melius sit uti ista Aqua putrida, quam Aqua pura et naturali Chrismate non fœcundata? » Respondit: « Baptismos collatos cum Aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis præferendam Aquam naturalem; sed providendum renovatione Aquæ Fontis baptismalis juxta Rituale Romanum » [1].

CAPUT V.

De Sacris Oleis, ac de Sale.

32. Jus benedicendi hæc Olea est et semper fuit proprium Episcoporum; eorumque Benedictio nunc ubique fit in Feria V. in Cœna Domini. Quæ huc pertinent duo sunt: *Oleum Sanctum*, quod etiam *Catechumenorum* dicitur, et *Sacrum Chrisma*.

Vasa sacrorum Oleorum argentea sint vel saltem stannea; et quidem duplicia: alia pro eorum conservatione, velut in deposito, alia ad usum quotidianum [2]. Prima *munda prorsus* per Clericos aut pios laicos quolibet anno in Feria V. Cœnæ Domini ad Ecclesiam Cathedralem mittantur, ut inde Olea in eadem Feria V. ab Episcopo consecrata recipiantur: ex eis, præter Olea in Fontem baptismalem Sabbato sancto et Vigilia Pentecostes infundenda, exigua Oleorum quantitas in vascula usus quoti-

1) C. S. O. 17 Aprilis 1839.
2) Benedictio vasorum pro sacris Oleis includendis exstat in Appendice Ritualis inter reservatas.

diani infundatur: deinceps in loco proprio honesto ac mundo in ipsa Ecclesia, et, si fieri potest, in pariete Presbyterii, sub clavi ac tuta custodia asserventur, nec ab aliquo, nisi a Sacerdote, tangantur. Posteriora in Feria VI. Parasceves, postquam ab Oleis anni superioris omnino mundata sint, recenti ac mundissimo bombacio repleantur, in quod ex vasculis majoribus Olei et Chrismatis quod sufficiat infundatur. Locus, in quo hæc vascula minora asservanda sint, esse debet in pariete Baptisterii, aut in ipso operculo Baptisterii, ut alicubi statuta diœcesana præscribunt. Olea anni præcedentis ex vasculis tum prioribus tum posterioribus cum bombacio in hebdomada majori comburantur; quidquid superest ex combustione in sacrarium projiciatur.

Si decurrente tempore contingat sacra Olea deficere, nec haberi possint alia benedicta, poterit aliud oleum non benedictum illis adjici, semper tamen in minori quantitate. Quid agendum, si forte hæc Olea omnino deficiant, et Baptismus sit statim conferendus, dicemus Cap. XI. n. 53.

33. Usus sacrorum Oleorum in administratione Baptismi antiquissimus est, adeo ut illum ex Apostolica traditione repetant Basilius, Cyprianus et alii SS. Patres. Apud eosdem triplex memoratur sacra unctio in Baptismate; prima quæ ante Baptismum fiebat cum Oleo Catechumenorum in pectore et in scapulis; altera quæ ab eodem Sacerdote baptizante fiebat cum Chrismate in vertice capitis; tertia quæ in fronte fiebat per Episcopum in Sacramento Confirmationis, quod immediate post Baptismum conferri consueverat [1]. Mysticam horum

1) Quum Episcopus baptizabat, per unctionem in vertice baptizatum confirmabat. **Duchesne** *Op. cit. Chap. IX § I. n. 5.*

Oleorum significationem in Baptismo exhibet S. Cyrillus Jerosolymitanus: « Exorcizati peruncti estis oleo, et participes facti estis sinceræ oleæ Jesu Christi: excisi enim ex oleastro insiti estis in sinceram oleam, et consortes facti estis pinguedinis veræ oleæ; igitur exorcizatum oleum symbolum erat communicationis pinguedinis Christi ». *Cat. myst. II.*

34. Ad liturgiam Baptismi pertinet etiam Sal ori baptizandi immittendum, cujus itidem usus in Baptismate antiquissimus est [1]. Pro ejus Benedictione utendum est formula, quæ habetur in Ordine Baptismi Parvulorum n. 6: semel vero benedictum, quum primo post renovatum Fontem in Sabbato sancto Baptismus confertur, asservari potest ad alios baptizandos, quousque in Feria VI. Parasceves anni sequentis comburatur, aut in sacrarium projiciatur. Sal esse debet bene confractum et attritum, ut Rituale præscribit, neque utendum est parvo instrumento ex sale confecto, quo interna oris infantium tanguntur [2]. Immissio Salis significat baptizatum fidei doctrinâ et gratiæ dono consecuturum esse: *a*) ut a peccatorum putredine liberetur, *b*) ut saporem bonorum operum percipiat, *c*) ut divinæ sapientiæ pabulo delectetur [3].

1) Cf. **S. Zeno** *L. I. Tr. XIV. n. IV.* **Orig.** *Hom. IV. in Ez.*
2) S. R. C. 30 Decemb. 1881, n. 3535, ad IX.
3) *Catech. Rom. P. II. De Sacr. Bapt. n. 66.* Cf. et **S. Thom.** *Summa Th. III. 71, 2.* — Si Diaconus baptizet, nec Aquam, nec Salem potest benedicere. S. R. C. 10 Feb. 1888, n. 3684.

CAPUT VI.

De linteolo et candela.

35. Ad significandam innocentiam, quam homo per Baptismum accepit, imponitur capiti baptizati vestis alba in modum palliŏli. Olim varii fuerunt ritus hac super re in diversis Ecclesiis: communiter baptizati in Sabbato sancto induebantur veste candida, quam per octo dies gestabant; alibi velum album super eorum frontem ponebatur, quod *chrismale* vel etiam *galea* dicebatur; alicubi uterque mos in usu simul fuisse videtur: et mystica significatione, et ritus antiquitate constat hanc cæremoniam de præcepto prorsus esse servandam.

Linteolum debet esse lineum, et non sericum: optandum cum S. Carolo, ut offeratur a parentibus baptizandi, quo in casu cavendum omnino est ne in usum profanum dein convertatur, sed ad usum Ecclesiæ relinquatur. Ceterum Ecclesia pro pauperibus habeat proprium; et in eo casu sedulo curandum, ut sit mundum et candidum, prout Rituale et ejusdem linteoli significatio postulat.

36. Usus quoque cerei in Sacramento Baptismi est antiquissimus: de ejus significatione videri potest Catechismus Romanus loc. c. n. 74: cui adjici potest expositio tradita a S. Carolo Borromæo, in lumine fidem significari, caritatem in colore, spem in recta cerei altitudine [1]. Etiam hæc Rubrica præceptiva est.

Cereus offerendus esset a parentibus baptizati, ut generatim fieri solere testantur Baruffaldus et

1) *De cær. Bapt.* Ritum innuit **S. Ambrosius** *De lapsu virg.*

Catalanus, at pro pauperibus proprium habeat Parochus: utcumque vero sit, tum quoad linteolum, tum quoad cereum, maxime Parochus abhorreat a quavis specie avaritiæ.

CAPUT VII.

De loco, in quo administrandus est Baptismus.

37. « Licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis, vel certe Baptisterium prope Ecclesiam » [1].

Juxta hoc præscriptum Ritualis, duplex est locus conferendi Baptismum: Si conferatur privatim propter periculum mortis, conferri potest ubique; ut plurimum confertur in domo privata. At si Baptismus conferatur solemniter, locus ejus conferendi est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis, vel Baptisterium prope Ecclesiam; ut plurimum, juxta hodiernam disciplinam, erit ipsa Ecclesia parochialis. Non licet itaque Baptismum solemniter conferre in Oratoriis, sive privatis, sive etiam publicis; imo nec in sacristia sine rationabili causa ab Episcopo approbanda [2].

Exceptio unica fit in Rituali pro filiis Regum et magnorum Principum, qui baptizari permittuntur in eorum Capellis seu Oratoriis, in Aqua baptismali de more benedicta. Exceptio hæc paulisper alicubi extensa fuit per consuetudinem ad alios nobiles;

1) *Rituale Romanum Tit. II. Cap. I. n. 28.*
2) S. R. C. 14 Martii 1861, n. 3104, ad IX.

quod, ubi Ecclesia toleret, non poterit argui de peccato. Attamen S. R. C. de hujusmodi usu vel abusu interrogata ab Episcopo Asculano in Piceno illi significandum duxit: « quod ipse curare debeat prudenter tamen et caute, removere abusus qui in hac re irrepserunt, efficiatque ut infantes ad baptizandum juxta præscriptionem et communem praxim ad Ecclesiam deferantur » [1].

38. Verum alias adesse posse rationes, ex quibus Baptismus cum cæremoniis ipsum subsequentibus domi conferri possit, et quidem extra periculum infantis, indicat S. Alphonsus [2]; inter has est periculum infamiæ parentum, aut alterius gravis damni [3]. In eo casu licentia Ordinarii impetretur.

Quæres, num Expositio solemnis SS. Sacramenti pro adoratione XL. Horarum causa sit sufficiens conferendi Baptismum in sacristia, vel in contiguo Oratorio?

Respondeo: Profecto ad tempus hujus solemnis Expositionis extendi nequit consuetudo alicubi vigens baptizandi ad altariolum, quod ante Altare majus construitur. Insuper, si Baptisterium situm sit prope januam majorem Ecclesiæ, ibidem videretur more solito conferendum Baptisma. Quod si Fons baptismalis positus sit prope Presbyterium, conveniens videretur ut Baptismus aut in sacristia aut in contiguo Oratorio administretur, ne quavis

1) S. R. C. 27 Aprilis 1877, n. 3418.

2) *Theologia Mor. L. VI. n. 142.* Docet ibidem mortale esse, excepto casu necessitatis, baptizare extra Ecclesiam.

3) S. R. Congregatio declaravit Baptismum ministrari posse in domibus privatis (a fortiori in aliquo Oratorio) *servato ritu Ecclesiæ consueto* in casu magnæ distantiæ, puta decem vel viginti milliarum: 4 Februarii 1871, n. 3234, ad III.

ratione distrahatur populus ab adoratione SS. Sacramenti.

39. Quamvis verum sit Baptismum conferendum esse in Ecclesia, tamen, spectato integro ritu celebrationis hujus Sacramenti, duplex adhuc locus distinguitur; alius extra Ecclesiam, alius intra Ecclesiam. Ea pars ritus baptismalis, quæ *Catechismus* appellatur, peragenda est extra Ecclesiam: et extenditur usque ad secundam manus impositionem inclusive; pars altera, quæ appellatur *Initiatio* vel proprie *Baptismus*, peragenda est in Ecclesia, partim extra Baptisterium, partim in Baptisterio vel ad ipsum Fontem baptismalem.

40. Catechismus omnino faciendus esse videtur extra Ecclesiam [1]. Ita sane Benedictus XIII. in Concilio Romano a. 1725: « Quia Baptismus janua est Sacramentorum et porta, per quam in Christi Ecclesiam intramus, sciant Parochi non nude a Romano Rituali præscribi ut baptizandorum Catechismus ad Ecclesiæ januam, his cum Patrinis extra exsistentibus, peragatur. Ipsis itaque districte præcipimus, ut ritum omnino servent eumdem; nec umquam committant, contrarius ultra procedat abusus. »

Quæres, an postrema pars peragi possit super Altare?

Respondeo: Profecto id fieri nequit super Altare proprie dictum: quippe quod ad SS. Eucharistiæ Sacrificium exclusive consecratum est; utrum super altariolum ligneum in medio, vel in latere

1) Opportunum esset atrium: eo deficiente, ne quid infans ex frigore vel aeris intemperie patiatur, Catechismus fieri poterit in Ecclesia prope januam. **De Herdt** *Sacr. Lit. Praxis P. VI. n. 159.*

Ecclesiæ constructum, aliis dijudicandum relinquimus; ubi vero generatim in Diœcesi talis consuetudo inducta sit, Parochi non erit eamdem in sua Parœcia abolere. Ceterum Rituale Romanum præscribit Baptismum conferendum esse in Baptisterio; auctores vero addunt non alibi conferendum esse.

CAPUT VIII.

De tempore, quo est administrandus Baptismus.

41. Hæc habet Rituale Romanum: « Opportune Parochus hortetur eos, ad quos ea cura pertinet, ut natos infantes sive baptizandos, sive baptizatos, quamprimum fieri potest, et, qua decet christiana modestia, sine pompæ vanitate, deferant ad Ecclesiam, ne illis Sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis, et ut iis qui ex necessitate privatim baptizati sunt, consuetæ cæremoniæ ritusque suppleantur, omissa forma et ablutione » Tit. II. Cap. I. n. 15.

42. Quærendum itaque esset: *a*) Quousque Baptismum neonato differre liceat? *b*) Quousque differre liceat cæremonias super infantem privatim baptizatum?

Quoad I. Si infans versetur in periculo mortis, obligatio gravissima incumbit parentibus aliisque curam ejusdem habentibus, ut cum Aqua baptismali quamprimum regenerandum procurent; qua in re dilatio non modo diei unius, sed et unius quadrantis posset esse peccatum mortale. Quod si infans nullatenus periclitari videatur, insistendum adhuc est, ut quamprimum, idest infra octo, vel ad

summum decem dies ad Ecclesiam baptizandus deferatur: determinare vero quænam dilatio peccatum mortale constituat, difficile admodum est. Lex enim universalis nullibi in Jure Canonico, aut Rituali, aut SS. CC. Decretis invenitur; quæ autem per consuetudinem inducta est, pro diversis locis ac temporibus varia esse videtur; ceterum hac de re Auctores Theologiæ Moralis consulantur [1].

Quoad II. Sicut difficile est determinare gravitatem dilationis Baptismi, ita difficilius est determinare gravitatem dilationis cæremoniarum ejusdem, quoties instante periculo infans privatim baptizatus fuerit. In hoc omnes conveniunt, cæremonias supplendas esse, et quidem sub pœna peccati mortalis, et supplendas esse quamprimum; minime vero conveniunt in determinando termino, præ quo ulterior dilatio habenda sit gravis. [2]. At absit omnino, quin hodiernam christianorum praxim probemus, qui, postquam a Parocho Baptismum suæ prolis privatum extorserint, absque ullo scrupulo, cæremonias ad unum vel duos menses vanis prætextibus differunt. Ii certo graviter contra legem Ecclesiæ peccare dicendi sunt.

43. Monent Doctores convenienti etiam hora Baptismum esse administrandum, scilicet non ante solis ortum, nec post ejus occasum, prout nonnullæ

1) **Benedictus XIV.** advertit omnino definiri posse ab Episcopo, « ne Baptismus infantium ultra octo dies differatur ». *De Syn. diœc. L. XII. Cap. VI.* n. 7. **Leo XIII.** in epistola diei 13 Augusti 1899, ad Episcopum Anglon. et Tursien. vehementer impium improbat abusum differendi per menses et annos Baptismum.

2) Sunt qui dicunt gravem esse cæremoniarum dilationem ultra octavum vel nonum diem a cessato periculo: ita **Berengo** *Enchiridion Parochorum P. II. n. 78.*

Synodi particulares decernunt. Monent quoque optimam esse eorum locorum consuetudinem, in quibus cum quadam pompa et festiva lætitia, cum campanarum et organi sonitu, cum populi concursu administratio Baptismi celebratur: cum enim de eo Sacramento agatur, quo homo e statu peccati in statum gratiæ regeneratur, Christo Capiti conjungitur, ceteris fidelibus adnumeratur, æquum est, ut fideles in terris illius lætitiæ participes fiant, qua ex justificatione peccatoris gaudent Angeli in cœlis. Ceterum sicubi mos exsistat, ut pro Baptismo prolis illegitimæ tum hæc signa solemnitatis omittantur, tum horæ nocturnæ præeligantur, hic mos laudabiliter servari potest. Et sane S. C. Cong. edixit iisdem in locis omnia signa solemnitatis omittenda esse in baptizandis filiis parentum eorum, qui civili tantum contractu copulati sunt: « Quum extrinseca illa solemnitas qua æris campani et organi sonitu populus advocatur ad infantum Baptisma, etiam in parentum honorem aliquatenus cedat; ita, sicuti dignum est ut hujusmodi honorem gaudeant ii qui sancto catholico ritu magnum Sacramentum in Christo et Ecclesia susceperunt, sic indignum prorsus reputatur, ut eodem honore fruantur qui publice in peccato vivunt et gravissimo scandalo ceteris fidelibus offensionem et ruinam pariunt. Itaque, dum curandum est, ut infantes ex hujusmodi parentibus nati quantocius per Baptismi lavacrum in Ecclesiam recipiantur, cavendum insimul erit, ne præfatæ solemnitates pro his adhibeantur » [1].

1) *Acta Sanctæ Sedis Vol. I.* pag. 243.

CAPUT IX.

De nominibus imponendis.

44. « Quoniam iis qui baptizantur tamquam Dei filiis in Christo regenerandis et in ejus militiam adscribendis nomen imponitur, curet Parochus, ne obscœna, fabulosa aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur; sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. » Rit. Rom. Tit. II. Cap. II. n. 54.

Jam a sæculo V. hæc testatur Theodoretus in Sermone VIII: « Nascentibus filiis Martyrum nomina imponere student, securitatem inde ipsis tutelamque comparantes ». Nunc aliàs itur ad astra! Ceterum ne Parochus inextricabilibus difficultatibus se implicet, advertat duas partes in allata Paragrapho Ritualis contineri; primam negativam, ne nomina quædam imponantur; alteram affirmativam, ut imponantur nomina Sanctorum. Hæc altera certe est de mero consilio; prior præceptum quoddam importare videtur, magis tamen parentibus infantis quam Parocho; iste curet utique et pro viribus instet; caveat tamen ne ultra limites prudentiæ insistens in gehennam ædificet. Si parentes normis Ritualis obsequi recusent, Sacerdos poterit nominibus a parentibus impositis aliquod aliud adjicere e Romano Martyrologio desumptum. Quinimo « si puerum baptizandum deferens nolit prorsus eum baptizari, nisi imposito impii alicujus nomine, non ideo fas est Baptismum differre, sed puer baptizandus est, addito, submissa voce, nomine alicujus Sancti ». Ita C. S. Officii Jun. 1883.

Parochis hac in re prodesse poterit tribunalium civilium decisio, juxta quam non licet nomina patronimica neonatis imponere [1].

« Si plura nomina baptizando imponuntur, solent communiter pronunciari omnia nomina prima vice, in ipso Baptismatis momento, et quum dimittitur baptizatus; reliquis vicibus primum tantum nomen pronunciatur » [2].

45. Pro diversitate generis in nomine, mutanda est quoque forma dictionis in precibus et exorcismis Baptismi; ita ut, servata præcise forma Ritualis pro masculo, mutetur in correlativam pro feminis. Id indicatur ab ipso Rituali semel pro semper, quum in Ordine Baptismi Parvulorum n. 3, post voces *Exi ab eo*, inter parenthesim interserit *vel ab ea;* quare ubi dicitur *hunc electum tuum*, substituatur pro puella *hanc electam tuam;* ubi dicitur *super hunc famulum tuum*, substituatur *super hanc famulam tuam* etc. [3]. Unica exceptio habetur n. 12, ubi indiscriminatim dicendum est *ab hoc plasmate Dei.*

CAPUT X.

De prima parte ritus baptismalis, seu de Catechismo.

46. Præmisso, in forma vocativa, nomine (vel nominibus) baptizandi, eum Sacerdos interrogat: *N. Quid petis ab Ecclesia Dei?* Patrinus respondet:

1) Vide *L'Avvisatore Ecclesiastico anno 1884.* pag. 493.
2) Ita **Martinucci** *Manuale SS. Cæremon. L. IV. cap. I.*
3) S. R. C. 13 Julii 1883, n. 3582, ad II.

Fidem. etc. Quæ interrogationes latino sermone, generatim, fieri debent [1].

47. Dein ter leniter exsufflat in faciem infantis etc. Hæc exsufflatio, distincta ab halatione, facienda est labiis compressis; continet primum dæmonis exorcismum, ac indicat quam facile dæmonis tentationes repelli valeant a volentibus. Has exsufflationes irrident quidem Calvinistæ, ut eas irridebat Julianus [2]; sed ritus antiquissimus est et forte ab Apostolis. Facit, digito pollice, signum Crucis in in fronte et in corde baptizandi, ut significet per Baptismum totum hominem ejusque mentem et cor Deo dedicari, ejus cogitationes et affectus Deo reservari, ut ipsi per fidem et opera placere studeat [3].

« Deinde imponit manum super caput infantis dicens » etc. Ritus ab exemplo Christi et Apostolorum desumptus [4] significat communicationem donorum Spiritus sancti.

48. Sal prius exorcizatur, ut fiat salutare Sacramentum ad effugandum diabolum, dein sanctificatur et benedicitur, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina. Semel benedictum potest aliàs ad eumdem usum deservire: aliquando tamen renovetur; saltem semel in anno, quum primo post Sabbatum sanctum Baptismus confertur; vetus vero comburatur, et cineres in sacrarium projiciantur.

Succedit alter exorcismus super infantem per ea verba *Exorcizo te immunde spiritus;* et descriptio signi Crucis super frontem ejusdem. Allusio evidens

1) S. C. de P. F. 30 Apr. 1808 et C. S. O. 23 Aug. 1880. Cf. **Bucceroni.** *Enchirid. Mor. ad n. 255.*
2) Apud **S. Gregorium Nazianz.** in *Oratione adv. Julianum.*
3) Cf. *Catech. Rom. P. II. De Baptismo Cap. II. n. 67.*
4) Cf. *Mat. XX. Act. VIII.* **S. August.** *De pecc. mer. II. 26.*

ad signum ab Angelo impressum super postes domorum Hebræorum in Ægypto, quod primogenitos a communi exterminio liberabat; vel ad signum literæ *Tau,* qua signandi erant quotquot e civibus Jerusalem liberandi erant ab excidio Chaldæorum [1].

49. Postquam secundo manum super caput infantis protenderit, et a Deo donum veræ sapientiæ super illum imploraverit, imponens super eum extremam partem stolæ, introducit in Ecclesiam, dicens: *Ingredere in templum Dei, ut habeas partem cum Christo in vitam æternam.* Quandoquidem templum typus est cœlestis Jerusalem, auctoritas ordinis sacerdotalis hoc ritu significatur.

In ingressu Ecclesiæ, prima editur professio fidei a Patrino nomine baptizandi: quod fides unius alteri prodesse valeat comprobatur exemplis evangelicis [2]. Hic ritus recitandi ante Baptismum Symbolum Apostolorum antiquissimus omnino est [3]; cui serius adjecta fuit recitatio Orationis Dominicæ. Tum symbolum, tum Oratio Dominica recitentur a Sacerdote, et apud nos, etiam a Patrinis in lingua latina; ab his tamen lingua etiam vernacula possunt recitari [4].

1) Cf. **Cornelium a Lapide** *Comment. in Exod. XII. 7,* et *Ezech. IX. 4.*
2) Cf. *Luc. V. 20. VII. 9.* etc.
3) Cf. **S. August.** *Confess. L. VIII. Cap. II, n. 4 et 5.*
4) S. R. C. 30 Dec. 1881, n. 3535, ad X.

CAPUT XI.

De altera parte ritus baptismalis seu de Initiatione.

50. Hæc pars cæremoniarum Baptismi, per quam neophytus ad Baptismum immediate disponitur et ad mysteria christiana initiatur, partim complenda est extra Baptisterium, partim in Baptisterio vel prope eam mensam, ad quam forte Baptismus conferri soleat.

51. Extra Baptisterium: Præmisso tertio dæmonis exorcismo, Sacerdos accipiens, digito pollice et decenter, de saliva oris sui, tangat aures et nares infantis dicens *Ephpheta*, etc. Vestigia hujus ritus habentur penes Augustinum ac Tertullianum [1], imo adnumerandus est iis cæremoniis « quam Ecclesia Catholica ex Apostolica traditione recepit et, ob recondita in iis divinæ erga nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit » [2]. Mysteria ejusdem traduntur a Catechismo Romano, S. Carolo Borr., S. Thoma et aliis.

Quoad praxim, duo advertenda sunt: *a*) Sacerdos dum tangit aures dicat: *Ephpheta, quod est, adaperire:* dum tangit nares: *in odorem suavitatis*; dein reliqua verba prosequatur, dum pollicem linteolo abstergit. *b*) Hæc linitio facienda est simplici actu absque ullo signo Crucis. Post hæc ingreditur

1) **S. August.** *Tract. XLIV. in Jo.* **Tertull.** *Ad Scapul. c. II.*

2) **Bened. XIV.** *Const.* « *Omnium sollicitudinum* » 12 Sept. 1744.

Baptisterium, vel propius ad mensam baptismalem accedit [1].

52. Sequuntur abrenuntationes, quæ per Patrinos, quasi per fidejussores, fiunt a baptizandis. Sub forma triplicis aut quadruplicis interrogationis in pervetustis Ritualibus occurrunt; imo de his Tertullianus: « Adituri Aquam sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare *diabolo* et *pompæ* et *angelis ejus* » [2]. Quod iisdem vota proprii nominis contineantur, docuisse videntur Alexander Halensis, S. Bonaventura, Doctor Angelicus et alii: communius tamen id Theologi negant: ceterum non abs re ad socordiam christianorum excitandam invocari solent.

53. « Deinde Sacerdos intingit pollicem in Oleo Catechumenorum », etc. Obligatio utendi determinate Oleo Chatechumenorum et inferius Chrismate gravis est; item gravis obligatio est utendi Oleis postremâ Feriâ V. in Cœna Domini benedictis. Tamen, si recentia non habeantur, adhiberi debent Olea anni superioris, quin Baptismus etiam ad breve tempus differatur [3]: absque sacris unctionibus, nonnisi in extrema infantis necessitate Baptismus conferendus est, quo in casu unctiones postea privatim suppleantur.

Rubricæ, quæ in citata Editione habentur n. 15, 16 et 17, videntur distribuendæ esse sensu accomodo: « Sacerdos intingit pollicem in Oleo Ca-

1) **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 160,* **Martinucci** *Man. SS. Cœrem. Lib. IV. Cap. I.* et alii ingressum in ambitum Baptisterii ponunt post unctionem cum Oleo Catechumenorum.

2) **Tertull.** *De Corona mil. Cap. III.* **Origen.** *Hom. X. in Num.*

3) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2773, ad IV.

techumenorum, et infantem ungit in pectore et inter scapulas in modum Crucis » etc. Duo signa Crucis formanda sunt, aliud in pectore, aliud inter scapulas, dum lente proferuntur ea verba: *Ego te linio Oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro.* Si ipsemet Sacerdos, ut moris est, inuncta loca abstergit, antequam pollicem in Oleo intingat, globulum bombacii inter indicem et medium ejusdem manus dexteræ accipiat, quo unctionem in pectore mox abstergat [1], et similiter unctionem in humeris: quum minister inserviens responderit *Amen,* aut eodem, aut alio globulo pollicem suum absterget [2]. Postquam vero et loca et pollicem absterserit, stolam violaceam deponat, et sumat aliam albi coloris: hanc hujus Rubricæ inversionem indicat Martinucci l. c. et diserte tradit Catalanus. Ut jam aliàs advertimus, non est illicitus usus stolæ bicoloris; in eo casu stola invertatur, ita ut deinceps colorem album præseferat.

54. Post hæc Sacerdos interrogabit baptizandum expresso nomine compellans: *N. Credis in Deum* etc. Pro baptizando Compater respondebit: *Credo.* Hujusmodi professionis, quæ aliquando a neophyto jam fontem ingresso emittebatur [3], clarissima sunt penes Patres et pervetustos Libros Rituales argumenta; e quibus illud etiam novimus, et eam exigi

1) Scilicet antequam infantem ungat inter scapulas, ne secus vestibus sacra unctio profanetur.

2) Consuetudo, licet communis et perantiqua, adhibendi loco pollicis pennicillum seu virgulam argenteam, abolenda prorsus est, exceptâ causâ necessitatis. S. R. C. 31 Augusti 1872, n. 3276, ad I. ex resp. ejusdem S. C. 9 Maji 1857, n. 3051, ad II.

3) *Acta* **Genesii** apud **Ruinart** *Acta Mart.* pag. 237. Cf. plura apud **Martene** *De ant. Eccl. rit. Lib. I. Cap. V. art. 13.*

per interrogationes, et alicubi scriptam et proprio nomine initiati signatam Ecclesiæ tradi consuevisse [1].

55. Iterum Sacerdos baptizandum expresso nomine interrogat, an velit baptizari [2]; et, annuente Patrino, eumdem infusa Aqua baptizat. Necessitas et sanctitas hujus Sacramenti omnino postulant, ut Sacerdos omnia et singula verba formæ baptismalis memoriter teneat, eaque, dum ter Aquam super caput infantis in modum Crucis fundit, *simul* proferat, *semel* quidem, at *distincte* et *attente*. Quod Aquam fundens simul verba proferat, hoc ad substantiam Sacramenti spectat; quod Aquam baptismalem adhibeat, et eam ter fundat, et in modum Crucis fundat, et verba semel et distincte et attente proferat, hæc ad ritum quidem spectabunt; ita tamen, ut omissio aut mutatio quælibet in his facilius ad materiam gravem, et proinde ad grave peccatum pertingere possit, partim ex periculo ne Sacramentum ipsum in essentialibus vitietur, partim ex altissimis mysteriis, quæ in ipsa parte liturgica continentur. Vox *Amen* in fine formæ baptismalis est prorsus omittenda [3].

Patrini, ut vere tales sint, debent in actu Baptismi infantem vere et physice tenere, et non tan-

1) Cf. **S. Greg. Nazianz.** in *Orat. de Baptismo;* et **S. Ambr.** *De Init. Cap. II. De Mysteriis Cap. V.*
2) Ratio redditur a *Catechismo Rom. l. c. n. 71.*
3) S. R. C. 9 Jun. 1853, n. 3014, ad II.

tum adstare [1]. Circa modum, auctores communius dicunt infantem tenendum esse pronum, ita ut Aqua super ejus occiput fundatur: nihil tamen de hac re habetur sive in Rubrica, sive in Decretis S. R. C. Si infans capillatus sit, et pronus baptizetur, Sacerdos manu sinistra capillos dividat ac discriminet; melius tamen omnis dubitandi causa tollitur, si in fronte Baptismus conferatur. Caput infantis sustineatur super cavum anterius Fontis baptismalis, ex quo Aqua defluat in sacrarium, vel super pelvim suppositum, et in hoc casu Aqua in sacrarium projiciatur. Baptizato infante, abstersio capitis juxta alios facienda est a Sacerdote qui baptizavit, juxta alios a Patrino, juxta alios a ministro inserviente. Utcumque sit, mantile adhibeatur ad hunc usum *exclusive* destinatum.

Communiter forma proferatur absolute, prout est in Rituali: si vero dubitatur, an infans baptizatus fuerit, adhibeatur forma conditionata: *N. Si non es baptizatus, ego te baptizo* etc.; quo in casu conditio *expresse* apponenda est, sic jubente Rituali.

56. Deinde Sacerdos intingit pollicem in sacro Chrismate, et accepto globulo bombacii inter anularem et medium digitum ejusdem manus dexteræ, ungit infantem in summitate capitis in modum Crucis, dicens *Deus omnipotens* etc., et præcise ad

1) Attendatur sequens declaratio: « Per verba Ritualis *Patrino infantem tenente* haud susceptio absoluta requiritur; cum tenere æque intelligatur ac sufficiat, si Patrinus (vel Matrina), ut in more positum est, physico contactu infantis jungat se cum eo cujus manibus ille tenetur, et ad Aquæ infusionem comitetur deferentem; quin opus sit ut, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens Sacerdoti baptizandum exhibeat ». S. Congr. de Prop. Fide 21 Jan. 1856.

ea verba *ipse te liniat.* Hæc unctio cum sacro Chrismate, decretis SS. Pontificum Innocentii I. et forte Silvestri præscripta, tanti fit a Doctoribus, ut ejus omissio pro gravi peccato habeatur. Ea non in fronte infantis, sed in vertice, h. e. in summitate capitis, discriminando, si opus sit, capillos facienda est; cujus rei ratio duplex affertur, alia ab Innocentio I., alia a Cetechismo Romano [1].

57. Post hæc imponit capiti infantis linteolum candidum, eique, vel Patrino, tradit candelam accensam. Linteolum non est mere extendendum ante frontem, sed capiti imponendum juxta primitivam ejusdem denominationem, qua *galea,* aut destinationem, qua *chrismale* appellabatur: candela Patrino tradatur, qui eam dextera manu tenebit. Utraque Rubrica præceptiva est, neutra tamen sub gravi.

Demum Sacerdos infantem baptizatum dimittens dicit: N. *Vade in pace, et Dominus sit tecum.* Cui minister inserviens respondet: *Amen* [2].

Dimisso infante, Sacerdos stolam et superpelliceum deponet; dein manus lavabit medullâ panis adhibitâ ad pollicem abstergendum sacris Oleis perfusum; aquam et panem projiciet in sacrarium. Omnibus absolutis, antequam infans ab Ecclesia asportetur, Parochus tum baptizati, baptizantis ac Patrinorum nomina, tum collati Baptismi diem in baptismali libro accurate describet.

1) **Innoc. I.** *Epist. ad Decentium, Catech. Rom. l. c. n. 72.* Cf. **Suarez** *In III. q. LXXI. art. 3,* **Lapini** *Op. cit. Lez. 27.*

2) Nulla ratio est, qua Sacerdos addat Initium Evangelii S. Joannis, et infantem atque adstantes aspergat Aqua benedicta.

CAPUT XII.

De Baptismo in domo privata.

58. Omisso privilegio filiis Regum et magnorum Principum concesso, causæ quædam dari possunt quibus et alios infantes liceat privatim baptizare.

In hac re triplex casus contingere potest. Primus, quod, imminente periculo mortis, infans a persona laica, sive viro, sive femina, baptizetur. Alter, quod, stante quidem periculo, at data simul opportunitate, Parochus vel Sacerdos ad infantem domi baptizandum vocetur. Tertius, malo temporum nostrorum fato non infrequens, quod negligentia et incredulitate parentum infans, jam a mense vel bimestri editus, ad Ecclesiam non deferatur, ac proinde Parochus, ejus æternæ saluti prospicere studens, eum privatim, licet nullum periculum instet, baptizare debeat. — De singulis dicam quod sentio.

59. In primo casu nihil est quod jubeat, aut suadeat utendum esse Aqua baptismali; imo naturalis prorsus, aut ad summum lustralis, adhibenda esse videtur. Evidenter omnes cæremoniæ omittendæ suut; nec, ut censeo, admittendi sunt Patrini, qui, etsi forte abhibeantur, cognationem spiritualem non contrahunt, quamvis eam contrahat minister, exceptis adhuc patre et matre legitimis, inter se, ne jure conjugali priventur [1].

60. In secundo casu, Parochus, vel Sacerdos certe debet omittere omnes cæremonias, quæ Baptismum præcedunt, etiamsi tempus adesse constet; et incipere debet immediate a Baptismo. Patrinum laudabilius admittet, quem fere certum est cogna-

(1) Rit. Rom. Tit. I. Cap. I. n. 14.

tionem non contrahere [1]; sacras vestes, si facile potest, assumet, cottam videlicet et stolam albi coloris; item curabit secum Aquam baptismalem deferre, quam ter super caput infantis in modum Crucis effundet dicens: *Ego te baptizo* etc.: quod si Aquam baptismalem non habeat, utatur aqua simplici [2]. Post hæc, si habeat Chrisma, liniat eum in vertice; et reliqua omnia perficiat prout in Baptismo solemni fieri solet. Ita agendum esse videtur ex Rubricis Ritualis Romani l. c. n. 28, seqq. et S. R. C. Responso 23 Sept. 1820 n. 2607, Accedit recens S. Inq. Responsum: « 1.° In Baptismo domi conferendo ob imminens mortis periculum, omissis cæremoniis quæ Baptismum præcedunt, juxta Rubricam Ritualis Romani illa poterunt adhiberi quæ Baptismum subsequuntur. 2.° In casu infirmitatis et impossibilitatis adhibendi omnes cæremonias, posse et teneri uti illis cæremoniis quibus possunt uti » [3].

61. In tertio casu Parochus impetret ab Episcopo licentiam extrahendi Aquam ex Fonte, quacum infantem domi omnino privatim baptizabit, indutus, si facile potest, stola albi coloris, at omissis cæremoniis omnibus, sive præcedentibus Baptismum,

(1) Circa Responsa S. C. C. 17 Aprilis 1603, 5 Martii 1678 conf. **Lehmk.** *Theolog. Mor. II. n. 758* in nota, et **Palmieri** ad *Opus theolog. Baller. Vol. VI. n. 1008* in nota. Generatim negant Moralistæ, affirmant Canonistæ contrahi cognationem in casu. Res igitur dubia. Cf. **Feije.** *De Impedim. et Dispens. Matrim. n. 413. Monit. Eccl. Sez. I. Vol. IX. P. I.* pag. 91.

2) « Quando non habetur Aqua baptismalis, abhibenda est (quando fieri potest) Aqua benedicta juxta formulam in novis Editionibus et in Appendice Ritualis Romani; secus abhibenda est aqua naturalis ». C. S. O. 22 Junii 1883.

3) C. S. O 10 Aprilis 1861.

sive ipsum subsequentibus [1]. Ceterum huic praxi Parochus quantum potest obsistat, et contra recentem abusum, tum privatim, tum publice pro viribus invehat [2].

62. Ex recenti declaratione S. R. C. forte quartus casus erit adjiciendus, in quo nempe, propter magnam distantiam, puta decem milliarium, non liceat omnino infantem deferre ad Ecclesiam, prout in locis missionum facile contingit: in eo casu sacra Congregatio edixit Baptismum ministrari posse in domibus privatis, servato ritu Ecclesiæ consueto [3]. Patet facilius posse Baptismum de consensu Parochi, et servato ritu Ecclesiæ consueto ministrari in aliquo publico Oratorio, quando prævideatur infantem, propter distantiam aut alias causas, non posse ad Ecclesiam parochialem deferri.

CAPUT XIII.

De supplendis cæremoniis super infantem privatim baptizatum.

63. Quamvis cæremoniæ baptismales ab Apostolis et Ecclesia institutæ sint ea intentione ut Baptismum ipsum comitentur, tamen certum est eas ex lege Ecclesiæ supplendas esse, quoties Baptismus absque cæremoniis collatus fuerit. Quæ quidem obligatio et gravis est, et urget *quamprimum*, adeo

1) Si Patrinum adhibeat, procuret eumdem postea et cæremoniis adesse quamprimum in Ecclesia supplendis.
2) Cf. **Frassinetti** *Manuale del Parr, novello P. II. Capo I.*
3) S. R. C. 4 Februari 1871, n. 3234, ad II.

ut nedum omittendo, sed et notabiliter differendo graviter peccari possit. Cf. dicta num. 42.

64. Circa ritum supplendi, caute attendendum est ad differentias, quæ in exorcismis aliisque precibus habentur inter ritum hunc et ordinem baptizandi. Opportunum hac de re erit Rituale Romanum editum Romæ typis *de Propaganda Fide* anno 1874, vel aliud huic in omnibus conforme, puta Mechliniense, in quo hujusmodi ritus per extensum insertus reperitur. Quod si Editio typica Ratisbonensis adhibeatur, faciendæ sunt omnes ille mutationes, quæ partim in *Ordine Baptismi parvulorum* ad singula loca inter parentheses marginales apponuntur, partim inferius adjiciuntur in Capite 5.

Aliud insuper advertendum. Si ex casibus in præcedenti Capite indicatis primus vel tertius contingat, perficiendæ erunt postea in Ecclesia cæremoniæ omnes, tum quæ præcedunt, tum quæ subsequuntur Baptismum. Quod si casus secundus contingerit, tunc in supplendis cæremoniis, post unctionem cum Oleo Catechumenorum et acceptam a neophyto triplicem fidei professionem, hic statim dimittendus erit [1].

« Quænam servari debent cæremoniæ et preces, quæ supplendæ sunt adulto Catholico valide post nativitatem baptizato, sed omissis cæremoniis, quæ juxta Rituale Baptismum præcedere, vel sequi de-

1) Deduces inde Baptismum cum cæremoniis non esse domi conferendum a Parocho, nisi in vero gravi periculo mortis, quando exigua sit spes, quod infans ad Ecclesiam deferri queat.

bent? — Resp. Cæremoniæ et preces serventur, quæ assignantur pro Baptismo infantium » [1].

CAPUT XIV.

De reliquis ad Sacramentum Baptismi pertinentibus.

65. Ritus servandus in casu quo plures habeantur baptizandi sive masculi, sive feminæ, indicatur a Rituali Romano l. cit. n. 27. Unum advertimus: Si duo, vel tres tantummodo sint baptizandi, forte opportunius erit super singulos cæremonias omnes peragere et exorcismos ac preces recitare: si plures sint, Sacerdos diligenter attendat ad variationes, quæ in citata Rubrica indicantur, et quas heic fusius exponere non vacat.

Ritum baptizandi unum vel plures adultos, aut supplendi super eosdem cæremonias omittimus, eo quod casus rarior esse videatur [2]. Eadem de causa omittimus ritum benedicendi Fontem baptismalem extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes, quippe qui habetur clarissime expositus in Rit. Cap. 7.

1) S. R. C. 27 Augusti 1836 n. 2743, ad IV. Contrarium tene, si agatur de adulto in hæresi vivente. Cf. notam **Gardell.** in h. Decr.

2) Plures simul sub una forma sacramentali baptizare — *Ego vos baptizo* etc. — numquam licet, nisi in mortis periculo, et ubi tempus non patitur ut singuli separatim baptizentur.

TITULUS III.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

CAPUT I.

Prænotiones de materia nobis tractanda.

66. « Omnibus quidem Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis religiose, sancteque tractandis, magna ac diligens cura adhibenda est; sed præcipue in administrando (ac suscipiendo) sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet Ecclesia Dei; cum in eo contineatur præcipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiæ et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus » [1]. Hæc sanctissima monita frequenter Parochi ceterique Sacerdotes considerent, ut ea qua par est vitæ interiore sanctitate, externa corporis gravitate, ac sacrorum rituum accurata observantia hoc SS. Sacramentum pertractent; idque eo magis, quod hoc Sacramentum frequentius quam cetera tractant, et frequentia facile minuere potest reverentiam.

67. Dum in ceteris Sacramentis administratio in ipsa eorumdem confectione communiter consistit, immensa Jesu Christi erga homines dilectio effecit, ut SS. Eucharistiæ Sacramentum inter nos permanenter conservaretur, atque adeo duplici distincta-

1) *Rituale Rom. Tit. IV. Cap. I. n. 1.*

que functione conficeretur, ac fidelibus distribueretur. Conficitur enim in sacrosanto Missæ Sacrificio, in quo Sacerdos quidem necessario Sacramentum assumit, at non necessario ipsum fidelibus distribuit: distribui autem potest tum in ipso Missæ Sacrificio, tum extra ipsum. Hinc plena operis nostri tractatio exigeret, ut de confectione Sacramenti Eucharistici, ac de ejusdem administratione ageremus. Verum, quia de SS. Sacrificio, etiam quoad partem liturgicam, plures ac diffusæ habentur tractationes [1], hinc tantummodo de SS. Sacramento, prout permanens est, agemus, functiones illas liturgice exponendo quæ circa ipsum versantur.

CAPUT II.

De SS. Sacramenti conservatione.

68. « Consuetudo asservandi in Sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit » [2]. De antiquitate hujus moris ejusque convenientia, ac de diversis, pro temporum et locorum varietate, modis conservandi agunt scriptores plures Apologetæ contra Protestantes: nobis satis est partem liturgicam,

1) Quoad partem dogmaticam, mysticam et moralem, vide præ ceteris opus præstantissimum **Benedicti XIV.** *De Sacrificio Missæ;* quoad partem vero practicam, recentiores **Fumagalli** *Manuale seu Promptuarium Liturgicum Vol. I.*, Al. **A. Carpo** *Cæremoniale juxta Ritum Romanum*, **De Herdt** *Sacræ Liturgiæ Praxis P. I. II. III., Ephemer. liturg.* 1887 - 1889 etc.

2) *Conc. Trident. Sess. XIII. Cap. VI.*

secundum hodiernam Ecclesiæ consuetudinem, maxime vero secundum S. R. Congregationis Decreta, proponere. Quatuor ex ordine spectabimus: Ecclesiam, Altare, Tabernaculum et Pyxidem.

69. **Ecclesia.** — De jure SS. Eucharistia conservari debet in Ecclesiis omnibus Parochialibus, et consequenter etiam in Cathedrali, quæ prima Diœceseos Parœcia censetur. Item in Ecclesiis Regularium, sive virorum, sive mulierum quæ habent clausuram papalem, aut saltem quarum Domus auctoritate Apostolica, non Episcopali tantum, erectæ sunt; talis enim erectio tacite illud privilegium secum ferre dicenda est [1]. Quoad alias vero Ecclesias, referimus responsum S. R. C., quæ interrogata: « Potestne Episcopus jure proprio concedere facultatem asservandi SS. Sacramentum: 1. In Ecclesiis seu Cappellis publicis, quæ tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus Parœciæ inserviant; 2. In Cappellis piarum Communitatum publicis, id est quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante et quæ habitantibus omnibus aperiuntur; 3. In Cappellis seu Oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent Cappellam seu Oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit ex. gr. in Seminariis? » Respondit: « Implorandum est indultum a Sancta Sede quoad omnia postulata... [2]. »

Notamus tamen, quod Apostolici Indulti præsumptionem inducere potest immemorabilis consue-

1) **De Angelis** *Prælect. Iuris Can. L. III. T. XLIV.* Cf. *II Monit. Eccl. Ser. I. Vol. VIII. P. I.* pag. 259.
2) S. R. C. 8 Mart. 1879, n. 3484, ad III.

tudo [1], et Episcopus dare potest licentiam ad tempus.

Optandum sane est, ut in Ecclesia, in qua SS. Eucharistia conservatur, sacrosanctum Missæ Sacrificium quotidie, aut saltem pluries in hebdomada celebretur. Interrogata S. C. « An SS. Eucharistiæ Sacramentum servandum permitti possit in Ecclesiis, ubi Missa celebratur tantummodo Dominicis, et quando S. Viaticum ad ægrotos ferendum desumitur; reliquo vero temporis spatio nemo illuc accedit, præter Aedituum ad alendam lampadem, januis clausis ceteroquin manentibus? » Respondit: « Negative; nisi per aliquot diei horas aditus pateat fidelibus Sanctissimam Eucharistiam visitare cupientibus » [2].

70. **Altare.** — Communiter SS. Sacramentum in Altari majori conservandum est; excipiuntur Ecclesiæ Cathedrales, in quibus in alio Altari conservandum est, ne scilicet aut functiones episcopales juxta Rubricas fieri impediantur, aut reverentia SS. Sacramento debita minuatur [3]. Curandum, ut Altare SS. Sacramenti et omnia, quæ ad ipsius

1) **Benedictus XIV.** *Bulla Quamvis justo. 30 Apr. 1749 § 24.* Num in Oratoriis magnorum xenodochiorum, quæ auctoritate episcopali ad instar quasi-parœciarum sunt instituta, possit Episcopus permittere conservationem perpetuam SS. Sacramenti, plures affirmant, neque negandi argumentum sumi posse videtur ex resp. S. R. C. 23 Nov. 1880, n. 3525, ad III. in quo peculiaris notatur circumstantia.

2) S. R. C. 15 Nov. 1890, n. 3739, ad I. Neque generalis obligatio quotidianæ celebrationis deduci potest ex resp. 16 Mart. 1833, n. 2700, dato propter particulares circumstantias. Cf. **M. C. G.** *Consultazioni Mor. Can. Lit. P. III. Cons. XLI.*

3) Consuetudo alicubi inducta conservandi SS. Eucharistiam ad latus in pariete vel in turricula ad id exstructa, Romæ reprobata fuit. Apud **Lehmk.** *Theol. Mor. II. 132* in notis.

cultum sunt ordinata, integra sint et munda: præcipuus hujus Altaris ornatus sint lampades plures, vel saltem una, quæ diu noctuque perpetuo colluceat; generatim utendum est oleo olivarum [1]; nec ab hac olei qualitate excusat ratio expensas minuendi, quæ in aliis potius rebus minuendæ erunt, nec lumina ex oleo substitui possunt luminibus cereis [2]. Quod una saltem lampas ante SS. Eucharistiam indesinenter ardeat, id omnino præceptum est; peccatum grave habetur, quod per integrum diem exstinta maneat [3].

Idem Altare septis circumdatum sit, eorumque cancellum clausum semper teneatur, adeo ut et laici numquam in Sanctum Sanctorum ingrediantur, et Clerici ipsi adeuntes paveant ad Sanctuarium Dei.

Interrogata S. R. C.: « Utrum ferri possit consuetudo asservandi SS. Eucharistiam in duobus vel tribus Altaribus; et nonnumquam occasione Novendialis aut alicujus Festivitatis transferendi etiam ad aliud Altare diversum ab illis in quibus ordinario asservatur? » Respondit: « Negative » [4].

Quando tamen ratio alicuius functionis id postulat, v. g. ad Communionem distribuendam, vel Benedictionem impertiendam, potest SS. Eucharistia transferri ab Altari ordinario ad aliud Altare, et, absoluta functione, in pristino loco reponi [5].

71. **Tabernaculum.** — Collocetur Tabernaculum seu Ciborium super ipsum Altare; ex ligno vel marmore aut ære affabre elaboratum sit, exterius

1) S. R. C. 9 Julii 1864, n. 3121.
2) S. R. C. 27 Iunii 1868, n. 3173.
3) **S. Alphonsus** *De Euchar.*, n. 248.
4) S. R. C. 14 Martii 1861, n. 3104, ad XIII.
5) S. R. C. 2 Junii 1883 n. 3576, ad VI.

inauratum vel depictum, interius velo serico albo circumvolutum, nisi et interius sit inauratum [1]. Decenter conopeo cooperiatur ad instar tentorii, etsi Tabernaculum argento, vel auro, vel alia pretiosa materia sit confectum [2]: ejus materia nullibi præscribitur [3]; convenit tamen esse sericam. Color varietati temporum, vel officiorum respondeat; tamen et albus semper retineri potest: verum in Exsequis et Missis cantatis de *Requiem* ad hoc Altare tum sacri Tabernaculi conopeum, tum pallium Altaris esse debent coloris violacei [4]. In summitate Tabernaculi apponi potest parva Crux (cum Crucifixo, saltem nisi alia major cum Crucifixo habeatur inter candelabra, ut præscribit Rubrica Missalis), vel imago Jesu Christi resurgentis. Interior planities corporali, vel palla munda sternatur. — Non constat Tabernaculum esse de præcepto benedicendum [5].

Super Tabernaculum, ita ut ipsum pro basi deserviat, ponendæ non sunt Reliquiæ sive Sanctorum, sive etiam S. Crucis aliorumve Passionis Instrumentorum, nec effigies, vel imagines quævis depictæ etiam S. Cordis Jesu [6]; item nec ante ostiolum Tabernaculi apponere licet vas florum, vel ipsas

1) S. R. C. 7 Aug. 1871, n. 3254, ad VII. et VIII.
2) S. R. C. 28 Apr. 1866, n. 3150 et 7 Aug. 1880, n. 3520. Cf. præclara penes *Ephem. liturg.* 1892 pag. 16 seqq.
3) Imo ampla datur libertas a S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, ad X.
4) S. R. C. 21 Jul. 1855, n. 3035, ad X. et 1 Decembris 1882, n. 3562.
5) Cf. *Eph. lit.* 1889 pag. 767.
6) Decr. gen. S. R. C. 3 Apr. 1821, n. 2613, ad VI. 12 Martii 1836, n. 2740, ad I.

SS. Reliquias [1]: imo et cavendum est, ne tabella secretarum ostiolum ex magna parte oculis fidelium subducat.

Ostiolum duplex sit: aliud exterius, quoad fieri potest pretiosum et ornatum, et clavi item pretiosa munitum: aliud interius, quod sua soliditate SS. Sacramentum ab avaritia impiorum hominum tueatur. Claves debent esse sub diligenti custodia, eaque non laici, sed Parochi vel Sacerdotis sacristæ, ut pluries S. Congregatio decrevit, et summi Pontifices pro Ecclesiis Urbis monuerunt. « Baldacchinum omnino apponatur super Altare, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur » [2]. Verum si super Altare sit ciborium marmoreum, vel lapideum, aut æneum, baldacchinum omitti potest, quia tunc superfluum est, nec commode aptari potest [3].

72. **Pyxis.** — « Conserventur Particulæ consecratæ in Pyxide ex solida decentique materia, eaque munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta ». Rituale Rom. Cap. I. n. 5. Quamvis Rituale materiam Pyxidis non determinet, curandum tamen est, ut ex eadem materia sit, quæ pro Calice præscribitur, adeoque aut aurea sit, vel argentea, aut saltem stannea intus deaurata; recentius tamen S. R. C. permisit Pyxidem fieri posse ex cupro

1) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, ad X. 6 Sept. 1845, n. 2906. — Multo minus licebit easdem Reliquias, vel res qualisbet, præter SS. Eucharistiam, intra Tabernaculum asservare. S. C. Epp. et Regg. 3 Maji 1693, ex Rit. Rom. Tit. IV. Cap. I, n. 6. Cf. *Il Mon. Eccl. Ser. I. Vol. VII. P. II.* pag. 21. In eo conservare licebit Pyxidem nondum purificatam, et Calicem a Sacerdote iterum celebrante purificandum. Cf. *Ephem. lit.* 1889 pag. 666.

2) S. R. C. 27 Apr. 1697, n. 1966 et 23 Maji 1846, n. 2912.

3) *Cærem. Epp. Lib. I. Cap. XIII. n. 3.*

deaurato [1]. Probabilius Pyxis de præcepto est benedicenda; benedici autem potest ab eo, qui habet facultatem benedicendi sacra indumenta, adhibito ritu, qui in Missali et Rituali inscribitur *Benedictio Tabernaculi, seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda* [2]. Pyxis suam Benedictionem amittit; *a*) quando cuppa a suo pede separetur, siquidem pedi affixa sit; secus vero, si est tornatilis; *b*) quando in cuppa tale foramem appareat, ut sit periculum quod sacrarum Particularum fragmenta penetrare valeant. Non videtur suam Benedictionem amittere per novam inaurationem [3]; certe non amittit, si sacrilege in usum profanum adhibeatur.

Operculum quoque sit ex eadem materia ac Pyxis; et eam bene, imo et perfecte claudat, ne periculum sit quod formicæ, aliave insecta intus penetrent: ipsum circumvolvi oportet velo serico Albo, quod Pyxidem ad pedem usque cooperiat.

CAPUT III.

De SS. Sacramenti renovatione.

73. Ad removendum quodcumque periculum irreverentiæ erga SS. Sacramentum, Ecclesia præcipit ut sacræ species *frequenter* renoventur. Hæc frequens renovatio duo importat: I. Ut Particulæ consecrandæ recentes sint; II. Ut eædem consecratæ non diuturno tempore conserventur. — Quæ dicimus de Particulis, dicenda quoque sunt de Hostia

1) S. R. C. 31 Augusti 1867, n. 3162, ad VI.
2) Exstat in *Rituali Romano Tit. VIII. Cap. 23.*
3) Quoad Calicem aliter sentiendum, ut per se patet.

majori, quæ reservatur pro impertienda fidelibus Benedictione.

Quoad primum, nulla habetur determinatio positiva in Rituali, et ipsa S. R. Congregationis Decreta sunt indeterminata. S. Carolus Borromæus prohibuit, ne adhiberentur Particulæ ante viginti dies confectæ [1]. Ex Theologis plures nihil dicunt; Scavini: « Curandum, ut Hostiæ et Particulæ sint tenues, nitidæ, non ante quindecim dies circiter confectæ, et, quoad fieri potest, ab ecclesiasticis viris, vel a sacris virginibus præparatæ » [2].

Quoad alterum, Cæremoniale Episcoporum ita monet Episcopum: « Ejus præcipua cura erit... ut sacrosancta Eucharistia saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur » [3]; et hanc dispositionem Cæremonialis esse servandam declaratum fuit [4]. Ceterum Theologi, et inter eos Benedictus XIV., excepto casu necessitatis specialis propter circumstantias loci vel tempestatis, et conditionis expresse appositæ a S. C. in concedendo privilegio asservandi SS. Eucharistiam in Oratorio privato aut rurali, admittunt sacras species ad quindecim dies tuto conservari posse: addunt facile esse peccatum mortale, si eædem per integrum mensem non renoventur.

1) In Concilio Mediol. IV. — S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, ad I. damnavit consuetudinem consecrandi species a tribus mensibus tempore hiemis, vel a sex mensibus in æstate confectas. Cf. Suffragium in cit. Decr. in *Collect. Auth. Decret. S. R. C. Vol. IV.* pag. 278.

2) **Scavini** *Theol. Mor. Lib. III. n. 124.* — Earum amplitudo, juxta usum Ecclesiarum Urbis, non sit infra centimetra tria, non ultra tria cum dimidio.

3) *Cærem Epp. Lib. I. Cap. VI. n. 2.*

4) S. R. C. 12 Sept. 1884, n. 3621, ad II.

74. Quæres: 1.° Ubinam ponendæ sunt Particulæ in actu consecrationis?

Resp. Rubrica Missalis hæc habet: « Si Sacerdos est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato, vel vase mundo benedicto: ponit eas retro post Calicem etc. » [1]. Hinc patet eas pro diversa quantitate collocari posse in pyxide, aut in alio Calice, aut super aliam Patenam, aut super ipsum, non vero super aliud plicatum, corporale, et nullimode esse probandam praxim Pyxidem extrahendi e tabernaculo, in qua fragmenta vel etiam particulæ consecratæ existunt, eamque novis implendi particulis dein consecrandis. Curandum profecto, ut Pyxis, vel Calix, aut Patena non modo intra corporale, sed etiam intra lapidem consecratum, saltem quoad majorem partem, contineatur [2].

Quæres: 2.° Possunt ne Particulæ collocari super tabellam metallicam inauratam (vulgo *Patena*), quæ alicubi in Communione fidelium adhibetur?

Resp. Negative. Non est ullo modo vas sacrum; et etiamsi alicubi benedici soleat, non ideo benedicitur in ordine ad recipiendum SS. Eucharistiæ Sacramentum.

75. Quæres: 3.° Quomodo facienda purificatio Patenæ, vel Pyxidis, aut Calicis, in quo sacræ Particulæ positæ fuerint?

Resp. Patena digitis tantum abstergitur. Addunt quidam eodem modo purificari quoque posse Pyxidem et Calicem, quod, si necesse est, v. g. extra

1) *Rit. celebr. Missam Tit. II. n. 3.*
2) Cf. *Ephem. lit.* 1887 pag. 168, 1893 pag. 96.

Missam, fieri potest; verum congruentius Pyxis et Calix, postquam digitis sacra fragmenta collecta fuerint et in Calicem Sacrificii demissa, purificantur vino infuso, quod postea in eumdem Calicem infundendum erit: quod si adhuc videantur fragmenta parieti Pyxidis vel Calicis adhærere, poterunt aut digito inde amoveri, aut, forte melius, novo vino et aqua infusa, iterum in Calicem Sacrificii demitti et cum hujus purificatione assumi: demum Pyxis et Calix purificatorio abstergantur [1]. — Si Particulæ super corporale fuerint consecratæ, satis est fragmenta cum Patena inde colligere, et in Calicem demittere.

CAPUT IV.

De distributione SS. Eucharistiæ in Ecclesia.

76. Dum minister confectionis hujus Sacramenti non potest esse nisi Sacerdos, minister dispensationis ejusdem poterit esse et Diaconus, qui hujusmodi facultatem vi suæ ordinationis accepit. Attamen, juxta hodiernam praxim Ecclesiæ, Diaconus id agere non debet, nisi, præter causam cujusdam necessitatis, accesserit commissio Sacerdotis; unde Sacerdos erit minister dispensationis ordinarius, Diaconus extraordinarius [2]. Nomine necessitatis intelligitur notabile incommodum, quod secus aut Sacerdoti obveniret, aut fidelibus, sive

1) Cf. *Il Monit. Eccles. Ser. I. Vol. VII. P. II.* pag. 211.
2) Cf. *Conc. Trid. Sess. XIII. Cap. VIII.* et S. R. C. 25 Febr. 1777, n. 2504.

omittendi, sive notabiliter differendi susceptionem hujus Sacramenti; et hoc etsi suscipere velint ex devotione [1].

Non omnis Sacerdos est minister legitimus administrationis SS. Eucharistiæ, sed Parochus tantum, ejusve superior; adeo ut peccet, et quidem graviter, Sacerdos qui in Ecclesia Parocho subjecta, absque ejus licentia tacita, vel saltem præsumpta, hoc Sacramentum ministret. Attamen licentia tunc dari tacite censetur, quum datur licentia celebrandi; et insuper, si de distributione ordinaria agatur, eadem facile præsumi potest.

77. Sacerdos Eucharistiam ministraturus procurare in primis debet, ut in statu gratiæ ministret. Quamvis enim non omnino certa dicenda sit sententia S. Alphonsi aliorumque Doctorum, qui mortale esse censent distribuere SS. Communionem in statu peccati [2], tamen nemo negat sanctitatem tanti Sacramenti postulare, ut quicumque ipsum pertractat, in statu gratiæ reperiatur: disputatio tota vertitur *circa gravitatem hujus peccati.*

78. Quoad ritum communicandi, en quid habet Rituale Romanum Cap. 2, n. 1: « Sacerdos igitur sanctissimam Eucharistiam ministraturus... lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei convenientis, præcedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad Altare manibus junctis, et accensis cereis, facta prius et postea genuflexione extrahit Pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit ».

1) **Lehmkuhl** *Theol. Mor. II. 135.*
2) Cf. **D'Annibale** *III. 292.* Loquimur, ut evidens est, de distributione SS. Eucharistiæ extra Missam.

Itaque Sacerdos in sacristia manus lavet. Quærunt, utrum præceptiva sit hujusmodi Rubrica?

Respondent eamdem, prout Rubrica est, esse directivam: ceterum peccare Sacerdotem, qui immundis manibus audeat SS. Sacramentum tractare.

Idem supra vestem talarem vestes sacras assumat, superpelliceum nempe et stolam coloris officio diei convenientis. Consentiunt omnes Rubricam istam præceptivam esse, et proinde, excluso casu necessitatis, peccare Sacerdotem, qui absque sacris vestibus Eucharistiam distribuat. Addunt peccatum esse mortale si utraque vestis omittatur, veniale si alterutra. Color stolæ respondere potest officio diei vel esse alba [1].

Si Sacerdos, quod ex rationabili causa fieri posse compertum est, SS. Eucharistiam immediate ante vel post Missam distribuat, eadem Missæ paramenta adhibere potest, etiamsi eorum color a colore officii discrepet, et quamvis, propter necessitatem et stante inveterata consuetudine, in Altari diverso ab eo in quo est celebraturus aut celebravit, id peragat [2]. Ceterum ritus communicandi nihil differt ab eo, quem mox expositurí sumus.

Idem valet etiam pro casu, quo Missa in paramentis nigris celebretur. Etenim per Decretum S. R. C. die 27 Junii 1868, n. 3177, confirmatum a s. m. Pio IX. die 23 Julii ejusdem anni, edictum est: « Posse in Missis defunctorum cum paramentis nigris sacram Communionem fidelibus ministrari etiam ex Particulis præconsecratis extrahendo Pyxidem a Tabernaculo; posse item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post

1) S. R. C. 12 Martii 1836, n. 2740, ad XII.
2) S. R. C. resp. sup. cit. ad XI.

Missam defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse Benedictionem ». De mutatione faciendæ tempore paschali, vide inferius num. 81.

79. In defectu ministri inservientis, non denegabitur Communio, etiam uni fideli ex devotione deposcenti. In eo casu Sacerdos ipse supplere potest, recitans ab initio Confessionem [1], sibique ad versiculos et orationem respondens: Confessionem recitare poterit, aut detracta sibi stola in gradu inferiori genuflexus nihil mutans, aut etiam super suppedaneum cum stola consistens, antequam Tabernaculum aperiat, omittendo ea verba *tibi pater* et *te pater*. Quod mulier suppleat, juxta alios inconveniens est, juxta alios omnino prohibitum, nisi sit monialis, quæ, pro more recepto, intra claustra e fenestella respondeat.

80. Procedat ad Altare junctis manibus. Utinam hanc Rubricam leviores quidam Sacerdotes perpenderent, qui externa levitate internam animi dissipationem nimis aperte produnt. S. R. C. declaravit decere, ut Sacerdos ipse deferat ad Altare bursam in qua corporale recluditur [2], et conveniens esse quod bursa sit ejusdem coloris ac stola deferenda [3].

Ardeant cerei super Altare. Rubrica tamquam præceptiva habenda est, ita ut veniali non vacet SS. Eucharistiam nullo, vel uno tantum lumine (nisi necessitas urgeat) ministrare. Præscribuntur cerei taxative; quare etsi plures lampades ardeant, cerei tamen duo sunt accendendi.

1) S. R. C. 31 Martii 1879, n. 3488. ad III.
2) S. R. C. 24 Sept. 1842, n. 2850, ad III.
3) S. R. C. 11 Junii 1880, n. 3515, ad I.

Quum Sacerdos ante medium Altare pervenerit, birretum porrigit ministro, et facta in plano simplici genuflexione, per gradus ascendit, et super mensam Altaris extendit corporale. Rubrica præscribens usum corporalis, et non tantummodo pallæ, super quod extensum sacra Pyxis collocetur, habenda est omnino tamquam præceptiva [1].

Postquam ostiolum interius (si duo sint) aperuerit, et cortinam amoverit, genuflectit; dein Pyxidem extrahit, et illam super corporale depositam discooperit [2]. Quum minister recitaverit *Confiteor*, Sacerdos facta iterum simplici genuflexione, manibus junctis per suam dexteram se ad populum vertit paulisper in cornu Evangelii, et clara voce dicit *Misereatur vestri* et *Indulgentiam*, nihil mutando, quamvis unus sit communicandus; dum hanc alteram precem recitat, sinistra infra pectus posita, dextera signum Crucis facit super communicandos. Tum, manibus junctis, per eamdem viam ad Altare revertitur, et iterum facta genuflexione, accipit sinistra manu Pyxidem, pollice et indice manus dexteræ (interim digitis inferioribus ad palmam conversis) unam Particulam, eamque super os Pyxidis elevatam tenet, et sic ad populum recte se convertit dicturus: *Ecce Agnus Dei,* [3] etc. Humeros ad medium Altaris vertit, etsi communicandi ad

1) S. R. C. 27 Februari 1847, n. 2932, ad IV.

2) Iterum genuflectit quum rediens ad Altare jam Pyxidem super corporale deponit, et quum, eadem in Tabernaculo collocata, in eo est, ut ostiolum claudat. S. R. C. 23 Dec. 1862, n. 3116: de ceteris, quæ aliquando contingere possunt, genuflexionibus, vide *Ephemerides liturg.* 1887 pag. 108.

3) S. R. C. declaravit eliminandam esse consuetudinem dicendi: *Ecce Agnus Dei* etc. idiomate vulgari: 23 Maji 1835, n. 2725, ad V.

alterutram partem inveniantur; imo, ut videtur, etsi in eodem Altari SS. Sacramentum expositum sit.

In SS. Communione distribuenda monialibus, quæ habent chorum retro post Altare, vel in parte laterali presbyterii, debet Sacerdos, intra Missam, recitato *Confiteor* per ministrum, vel per ipsas moniales, omnia, more solito, sive ante, sive post Communionem, ad Altare peragere; extra Missam vero, recitato, ut supra, *Confiteor* debet statim cum pyxide ad fenestellam chori accedere, ibique omnes preces sive antecedentes, sive subsequentes, recitare, dummodo tamen post moniales non sint laici communicandi, quo casu omnia ut intra Missam fiunt [1].

81. Quoad preces recitandas, hæc adverte: Nulla inducenda est mutatio, sive pro numero, sive pro sexu fidelium quibus Communio dispensanda sit; integra formula: *Corpus D. N. I. C.* etc. pro singulis est recitanda et ad verba *Jesu Christi* caput est inclinandum [2]. Antiphonam *O sacrum convivium* tunc Sacerdos incipiet, quum ad Altare reversus ibidem genuflexionem perfecerit; interim, si quod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponit, eamdem claudit, digitos abluit et abstergit purificatorio [3]: oratio *Deus qui nobis,* quæ junctis manibus dicitur, terminanda est per conclusionem longam [4]. Quamvis antiphona *O sacrum* non stricte

1) S. R. C. 6 Febr. 1892, n. 3764, ad XIV, et 13 Junii 1893, n. 3800.

2) « Quis autem respondere debeat *Amen?* — Juxta usum: nempe in Gallia respondet qui sumit, Medionali inserviens, Romæ Sacerdos, et ita notat Rituale ». **Scavini** *Lib. III. n. 133,*

3) *Rit. Rom. n. 8* et S. R. C. 14 Januar. 1898, n. 3975, ad III.

4) *Rit. Rom.* (ed. typ.) *n.* 7 et S. R. C. 11 Junii 1880 n. 3515, ad II.

præcipiatur, præcipiuntur tamen versiculi sequentes cum suis responsoriis et oratio [1]: tempore paschali tum antiphonæ, tum versiculo *Panem de cœlo* et sequenti responsorio addendum est *Alleluja* [2], et pro consueta oratione dicenda est alia *Spiritum nobis Domine:* item addatur *Alleluja* in Festo et per octavam Corporis Christi, licet dicatur oratio consueta. Si contingat Communionem distribui immediate ante vel post Missam defunctorum, omittenda est in fine Benedictio [3]; tempore paschali omittantur *Alleluja*, dicatur tamen oratio propria hujus temporis [4]. Quum Sacerdos populo benedicit, non osculatur quidem Altare, at manus elevat et extendit eodem ritu ac in fine Missæ [5].

Si Diaconus Eucharistiam dispenset, omnia eodem ritu iisdemque precibus peragat: tantum stolam transversam deferat, ac in fine populo minime benedicat.

82. Quæstiones nonnullæ subjiciuntur.

Quæres: 1.° Quibus diebus, et quibus horis non liceat SS. Eucharistiam ministrare?

Resp. Quoad primum: non licet omnino, excepto casu Communionis per Viaticum, ab expleta Missa Feriæ V. in Cœna Domini, usque ad hymnum *Gloria in excelsis Deo* in Missa Sabbati sancti, infra quam communicare licet, etiam ad satis faciendum præcepto Paschali [6].

Quoad alterum: Censuerunt quidam prohiberi

1) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, ad X.
2) S. R. C. 2 Junii 1883, n. 3577, ad XI.
3) S. R. C. 30 Aug. 1892, n. 3792, ad X.
4) S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3465.
5) S. R. C. 16 Mart. 1833, n. 2704, ad VI, et 30 Aug. 1892, n. 3792, ad X.
6) S. R. C. 22 Mart. 1806, n. 2561.

SS. Eucharistiæ distributionem, et quidem sub gravi, ante auroram et post meridiem. Tamen S. Alphonsus excludit tantummodo tempus nocturnum et illam diei partem quæ ad vesperam vergit; quare non videtur prohiberi, saltem propter speciales circumstantias, usque ad primam vel secundam, aut forte tertiam quoque horam post meridiem. Insuper, si cui Ecclesiæ datum sit privilegium, ut in ea Missæ celebrari valeant ante auroram, aut post meridiem, certe in eo inclusum est et privilegium, ut eodem tempore etiam sacra Communio distribui possit [1].

Quæres: 2.° Utrum extracta Pyxide e Tabernaculo, hoc claudendum sit, anne?

Resp. Si intus non remaneat SS. Sacramentum, relinquatur apertum; secus admoveatur saltem ostiolum exterius, præsertim si in anteriori parte Tabernaculi non habeatur extensa cortina.

Quæres: 3.° Ubinam reponendum sit operculum Pyxidis?

Resp. Super corporale, quum jam sit vas sacrum ejusque ori possint fragmenta adhærere [2]. Opportunum quoque erit prius conopeum amovere, et ponere extra corporale; ac viceversa, post distributam SS. Communionem, prius imponere Pyxidi suum operculum, deinde conopeum. Hac agendi ratione duplex inconveniens vitatur; primum, quod per conopeum distrahantur fragmenta quæ forte exsistant super corporale; aliud nimis frequens, quod fimbriæ aut vittæ conopei intra vas Pyxidis includantur.

1) S. R. C. 7 Sept. 1816 n. 2572, ad XXIII. et **M. C. G.** *Consultaz. Mor. Can. Lit. P. III. Cons. IX.*
2) Cf. *Ephem. liturg.* 1887 pag. 109.

Quæres: 4.° Utrum Sacerdos, SS. Eucharistiam distribuens, inter digitos manus sinistræ purificatorium tenere debeat ad abstergendos digitos dexteræ, quoties opus sit?

Resp. Talis usus, a quibusdam auctoribus commendatus [1], nullibi aut præscriptus, aut prohibitus, vel reprobatus invenitur: abundet ergo quisque in sensu suo.

Quæres: 5.° Quid dicendum de tabella metallica, vulgo *Patena*, quam alicubi Sacerdos infra digitos tenet sinistræ manus, et mento fidelium communicantium supponit?

Resp. Usus tabellæ hujusmodi, aut inutilis nobis videtur, aut contrarius debitæ reverentiæ. Si enim tabella illa, fidelium mento supponitur, ipsam Pyxidem, quam Sacerdos eadem tenet manu, necesse est illorum faciei nimis admovere, quod irriverentia non caret; sin minus, periculum, cui occurrendo tabella esset adhibenda, nullimode removetur, quandoquidem fragmenta facile decidere possunt. Ceterum nulla afferri potest lex aut responsio quæ usum prædictum prohibet.

Quæres: 6.° Ubinam sistere debent fideles communicantes, sive Clerici sint, sive laici? Ubinam mulieres?

Resp. Clerici et ministrantes Missæ vel Communioni, licet Clerici non sint, in presbyterio; ceteri omnes, sive viri, sive mulieres, ad septa presbyterii supra quæ extendi debet linea tobalea; viri, quantum fieri potest, separati sint loco, aut saltem tempore a mulieribus.

In Communione suscipienda Clerici super vestem talarem habeant superpelliceum; Diaconi et Sacer-

1) Vide **De Herdt** *Sacræ Liturgiæ Praxis P. II. n. 272.*

dotes etiam stolam, quæ respondere potest colori stolæ Sacerdotis ministrantis vel esse alba [1].

Si Communio distribuatur in Altari, ubi non habetur circumstans sepimentum, Sacerdos præfatam Patenam adhibeat, vel, juxta morem Ecclesiarum Urbis, tradatur fidelibus communicantibus tabella sive lignea sive chartacea, cui superinfixa sit palla munda.

Quæres: 7.° Num Sacerdos vel Diaconus sibimetipsis possint Communionem administrare?

Resp. Id posse fieri, dummodo alius Sacerdos (vel Diaconus) non sit præsens, non est negandum, quamvis ex devotionis causa tantum Communio fiat. Quoad ritum, omnia more solito sunt peragenda, sed versus Altare, si nullus alius sit simul communicandus [2].

CAPUT V.

De Communione solemni in Ecclesia.

83. Laudabilis certe est consuetudo, ut quibusdam solemnioribus Festis, sive ordinariis, sive præsertim extraordinariis, SS. Eucharistia speciali quadam pompa distribuatur. Id duplici in casu fieri solet: *a*) quum pueri primo ad sacram Synaxim admittuntur; *b*) quum ad generalem Communionem omnis populus invitatur, ut hoc pacto et mutua fidelium caritas foveatur, et singuli invicem in mutuam pietatis ædificationem excitentur.

1) S. R. C. 4 Julii 1879, n. 3499, ad I.
2) Cf. *Il Monit. Eccl. Ser. II. Vol. II.* pag. 81.

In utroque casu optandum est, ut Altare velis, tapete, congruenti cereorum numero, et, si per ritum diei licet, floribus exornetur; SS. Eucharistia per Episcopum, aut Prælatum, aut saltem peculiaris dignitatis Presbyterum, et quidem intra Missam, dispensetur; ante Communionem Diaconus, vel si Missa privata est, Sacerdos, superpelliceo [1] indutus in planu ad cornu Epistolæ Confessionem generalem decantet juxta modulationem, quæ habetur in Rituali Romano Tit. VIII. Cap. 31; dein ad dexteram Celebrantis procedens Patenam mento communicantium suppositam teneat [2]. — Hæc communia sunt; modo quæ sunt cuique propria exponamus.

84. **De prima puerorum Communione.** — Quæres: Admissio puerorum ad primam Communionem spectat ne exclusive ad Parochum?

Resp. Inter jura parochialia illud in primis recensetur, « ut populus de manu sui Parochi Sacramenta omnia percipiat; at nunc Eucharistiam in Paschate, Viaticum graviter ægrotantibus, Extremam Unctionem, et Matrimonii Sacramentum solus Parochus administrat » [3]. Juxta hanc doctrinam, administratio SS. Eucharistiæ, præterquam in Paschate et per Viaticum, fuisset per contrariam consuetudinem subducta a juribus parochialibus. Verum si alicubi consuetudo perseveret, ut nornisi Parochus pueros ad primam Communionem admittat, ibidem videretur jus commune perseverare, ac proinde ad Parochum exclusive hanc primam puero-

1) Etiam stolam adhiberi posse affirmat *Il Monit. Eccl. Ser. I. Vol. IX. P. II.* pag. 166.

2) Id permitti posse in Communione solemni, quæ per aliquem in Dignitate constitutum, etsi non Episcopum, distribuitur, declaratum est a S. R. C. 3 Sept. 1661, n. 1210.

3) **Bened. XIV.** *Instit. CV. § VI. n. 108.*

rum Communionem pertinere. Ceterum Catechismus Concilii Tridentini eam magis patri ejusdem pueri et Confessario attribuit, quam Parocho [1]; caveat tamen Confessarius a quolibet usu sacramentalis cognitionis; ab ea nominatim methodo, quæ inter opera Antonii Rosminii proposita [2], fuit a S. Pœnitentiaria reprobata [3].

Quæstiones de sufficienti puerorum instructione, de ætate opportuna, de necessaria dispositione, utpote theologicas vel prudentiales, et apud auctores frequenter tractatas, omittimus; prosequentes tantummodo partem hujus functionis liturgicam, ut ea quoque ad perennes primæ Communionis fructus consequendos ordinetur.

85. Monitum præbet Parochis Illmus Berengo: « Nihil Parochus intentatum relinquat, quominus hæc prima puerorum puellarumque Communio perquamsolemniter quotannis publica quadam religiosa pompa in sua Parœcia agatur, ea tamen servata in omnibus gravitate et dignitate, quæ generatim ecclesiasticas decet functiones » [4].

Præsupposita animæ tum intellectuali, tum morali dispositione, curandum est, ut et corporis decentia habitusque compositio sanctitatem hujus Sacramenti et tantæ diei festivitatem præseferat; bonum quoque est,si pueros singulos quidam quasi-patrinus, puellas quasi-matrina comitentur. Pro

1) *Catech. Rom. De Euchar. n. 63.* Ipsæ Romanæ Congregationes se huic opinioni adhærere passim indicarunt. Cf. **Bened. XIV.** *De Syn. Diœces. Lib. XI. Cap. XIV. n. 2, seqq.* et Decretum S. C. Conc. 15 Martii 1851 apud *Il Monit. Eccl. Ser. I. Vol. VII. P. II.* pag. 232.

2) **Rosmini** *Discorsi varii* pag. 99, 100 (Ed. Mil. 1843).

3) S. Pœn. 8 Junii 1843, apud **Scavini** *Lib. IV. App. LXI.*

4) **Berengo** *Enchir. Parochorum P. II. Cap. III. n. 96.*

Communione disponantur hinc inde scamna, ita ut pueri puellis e fronte non opponantur, et scamna pro puellis omnino in presbyterio non tolerentur.

Quoad ritum hujus Communionis, quicumque adhibeatur, duplici præsertim parte constet: renovatione promissionum Baptismatis, et professione præcipuarum veritatum Fidei Christianæ. Sacra Synaxis omnino intra Missam distribuatur: ea occasione poterit Celebrans, post sumptionem pretiosissimi Sanguinis, brevem sermonem (vulgo *fervorino*) ab Altari ad eosdem pueros habere [1]. Mappam ante communicantes tenere possunt duo Clerici, vel confratres SS. Sacramenti; item duo Clerici, aut confratres intorticia deferant in presbyterio genuflexi, si intra ipsum vel ad ejus septa Communio distribuatur: quod si extra presbyterium, opportunum est, ut iidem SS. Sacramentum comitentur; in hoc altero casu umbella quoque super SS. Sacramentum deferatur [2]. Etiam cantiones, lingua vulgari, possunt ab Ordinario permitti, sed in Missa lecta tantum [3].

86. **De Communione generali.** — Præmittimus declarationem S. C. R.: « Utrum occasione Indulgentiarum, vel simili, qua fideles magna cum frequentia ad sacram Synaxim accedere solent, ne sese penes Altaris cancellos turmatim obtrudant, possit iisdem sive per Ecclesiam, sive extra illam in genua provolutis Eucharisticus Panis distribui; an potius debeat tantummodo distribui penes cancellos linteo mundo contectos, sive ad gradus Al-

1) S. R. C. 12 Sept. 1857, n. 3059, ad X.
2) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad XI. declaravit permitti posse hac occasione flores et organum in Quadragesima.
3) S. R. C. 31 Januar. 1896, n. 3880.

taris? » Respondit: « Præstare in casu, ut plura genuflexoria sive scamna linteo mundo contecta hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra Ecclesiam ordinentur, et in extremitatibus interjecti spatii duo saltem candelabra disponantur, quæ perpetuo colluceant dum fidelibus circum adgeniculatis sacra Communio distribuitur » [1]. Patet per hæc non improbari morem, quo pro linteo super genuflexoria extenso, sustineatur a Clericis vel confratribus mappa ante singulos communicantes; item permitti posse, ut, omissis duobus candelabris, Clerici vel confratres SS. Sacramentum cum intorticiis comitentur. Reliqua more consueto, et juxta dicta n. 80 fiant [2].

Si Episcopus SS. Eucharistiam distribuat, omnes tam de Clero, quam de populo, ante Communionem manum Episcopi osculentur [3]; at nulli alii licet in administrando SS. Sacramento manum porrigere osculandam, et consuetudo contraria abusus est omnino tollendus [4].

Juxta exemplum S. Caroli Borromæi, videtur permitti posse, ut, si plurimi sint fideles communicandi, præter Sacerdotem celebrantem alii quoque Sacerdotes SS. Eucharistiam simul distribuant [5].

1) S. R. C. 26 Martii 1859, n. 3086, ad II.

2) Quamvis Rubrica Missalis statuat, ut Diaconus purificationem communicantibus ministret *(Ritus celebr. Missa Tit. X. n. 9)*, tamen servari potest consuetudo contraria, quæ, Ecclesia non contradicente, fere ubique invaluit. Si Episcopus in Missam solemni SS. Eucharistiam distribuat, Diaconus ad ejus dexteram S. Pyxidem teneat, Subdiaconus Patenam ad sinistram. Ex *Cærem. Episcop. L. II. Cap. XXIX. n. 5.*

3) *Cærem. Episcop. L. II. Cap. XXIX. n. 5.*

4) S. R. C. 22 Novembris 1659, n. 1134.

5) **Giussano** *Vita S. Caroli Borromæi L. VI. Cap. IV.*

CAPUT VI.

De Communione infirmorum.

87. Quoad hujus Communionis Ministrum, præter ea quæ diximus n. 76, hæc speciatim addenda. In Communione per Viaticum Minister est Parochus, vel Sacerdos, aut in necessitate Diaconus a Parocho delegatus. Sacerdos vel Diaconus, sive sæcularis, sive regularis, qui, absque Parochi licentia saltem præsumpta, Communionem per Viaticum extra casum necessitatis ministret, graviter peccat; imo regularis, qui ministrare præsumat, excommunicationem ipso facto incurrit [1]. Verum in casu necessitatis, quum Parochus vel Sacerdos delegatus non adest, aut non potest, aut non vult Viaticum infirmo deferre, non modo Sacerdos quilibet etiam regularis, sed et Diaconus quoque absque Parochi commissione potest, et ex caritate debet Viaticum infirmo ministrare. Probabile insuper est id licere et Clerico, si Diaconus desit, et laico, si desit Clericus [2].

88. Omissis quæstionibus propriis Theologiæ moralis, ad quas pertinent priores quinque paragraphi Capitis 4 Ritualis Romani, liturgiam hujus sacræ functionis exponemus incipientes a n. 6.

Duplex genus infirmorum distinguitur: alii infirmi quidem sunt, et infirmitate impediuntur quominus Ecclesiam adire queant; at nullatenus in

1) **Pius IX.** *in Const. « Apostolicæ Sedis »*. Est reserv. R. P. simpliciter.

2) Cf. **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. n. 237.*

periculo mortis exsistunt, ut sunt chronici; alii infirmitate adeo gravi laborant, ut in periculo mortis versentur. Discrimen notabile est quod spectat ad moralem Theologiam [1]; quoad rem liturgicam, infert tantummodo diversam verborum Communionis formulam, ut dicemus suo loco.

Item duplex est modus quo SS. Eucharistia ad infirmos defertur; aliquando in Pyxide plures reponuntur sacræ Particulæ, quam numerus communicandorum exigat, et processionaliter post Communionem reditur ad Ecclesiam: aliquando vero una tantum Particula in parva theca reponitur, aut duæ, vel tot tantummodo in Pyxide quæ respondeant numero fidelium communicandorum; adeo ut, post administratam eisdem Communionem, statim Processio dissolvatur. Primus modus ordinarius est et regularis; alter extraordinarius et non sine causa adhibendus: causa autem duplex esse potest, nempe difficultas aut longitudo itineris, et defectus debitæ reverentiæ [2]. Plura sunt utrique modo communia; nonnulla alterutrius propria, quæ suis in locis indicabimus.

89. Præmittuntur in Rituali monitiones quædam præviæ et generales n. 6, 7, 8. Deferatur SS. Sacramentum *manifeste* atque *honorifice*. Per illud *manifeste* innuitur SS. Sacramentum diurnis horis, excepto casu omnimodæ necessitatis, deferendum esse, et publice, ut omnes Christifideles ad ipsum

1) Nempe, infirmis secundi generis defertur Viaticum, etiam pluries, etsi non jejunis; primi generis infirmis defertur Eucharistia si jejuni sunt, nisi a S. Sede obtinuerint Indultum sumendi aliquid per modum potus ante Communionem, vel, probabiliter, nisi agatur de præcepto paschali implendo. Cf. **D'Annibale** *Summula. III. n. 411.*

2) *Rit. Rom. Cap. IV. n. 9, 20, 24.*

comitandum, aut adorandum excitentur. Per illud *honorifice* Parochi monentur, ut curent hanc SS. Sacramenti delationem cum externo apparatu ac pompa faciendam; quapropter ex consensu Rubricistarum licitum est solemniori apparatu hanc functionem peragere, quam Rubricæ Ritualis præscribant.

Item Parochus curet convocari confratres SS. Sacramenti aliosque parochianos, qui Eucharistiam cum cereis seu intorticiis comitentur. Piam hanc praxim Parochus frequenter inculcet, et ad hunc finem confraternitatem SS. Sacramenti in sua Parœcia instituat, aut institutam pro viribus foveat; ejus enim scopus præcipuus, ex mente summorum Pontificum, est associatio SS. Sacramenti, quum ad infirmos defertur [1]. Prodesse quoque poterit publicatio frequens Indulgentiarum, quas summi Pontifices huic pio operi adnexuerunt, quæ ne tempore quidem Jubilæi suspenduntur [2]. Proderit quam maxime exemplum Parochi aliorumque Sacerdotum.

Præmoneat etiam Parochus, ut ægri cubiculum mundetur, in eo super mensam linteo mundo coopertam parentur luminaria, et duo vascula, alterum cum vino, alterum cum aqua. Scopus horum vasorum est, ut Sacerdos in eis digitos abluat: advertunt tamen doctores sufficere, ut unum vasculum cum aqua apponatur, eo magis quod purificatio sumenda est, si potest, ab infirmo; porro difficile infirmus vinum sumet. Certe hæc Rubrica præceptiva non est, et qualiscumque sit, abiit in desuetudinem.

90. Præter habitum, qui omnino decens esse

1) Cf. **Catalanus** *Comm. in Rituale Rom.* h. l.
2) Vide *Raccolta di orazioni* etc. *Cap. VI. n. 5.*

debet, Sacerdos induat etiam superpelliceum et stolam albi coloris. Utraque vestis est de præcepto, nec praxis administrandi Viaticum cum stola absque superpelliceo retineri potest, ne in Parœciis quidem ruralibus, et ubi longum faciendum sit iter [1]; urgente tamen necessitate non erit infirmus absque Viatico dimittendus propter defectum alterutrius, aut etiam utriusque vestis sacræ [2]. Pro casu olim apud infideles, nunc et inter catholicos nimis frequenti, quod hominum malitia prohibeat SS. Eucharistiam manifeste et honorifice per vias deferri, præstabit sequi Instructionem editam a Benedicto XIV. pro regionibus infidelium, ut nempe Sacerdos saltem sub communi veste sua stolam deferat. Utcumque, semper poterit in praxim deduci monitum S. R. C. ut Sacerdos saltem in cubiculo infirmi talari veste et stola se induat [3].

Quæres; num, excepto casu præcedenti, adhibendum quoque sit pluviale?

Resp. Certe adhiberi convenit, quum et illud insinuet Rituale, et delatio hæc SS. Sacramenti sit vera Processio: ceterum præcipi omnino non videtur ex clausula in Rituali apposita « si haberi potest ». Practice opportunum erit adhibere in Communione solemniori, et quoties post administratam SS. Comunionem Processio ad Ecclesiam reducitur; secus omitti facile poterit. Profecto sive pluviale adhibeatur, sive non, requiritur semper velum humerale; et tum velum, tum stola et plu-

1) S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650, ad II.
2) Cf. **S. Alphonsus** *De Euchar. n. 241*, **D'Annibale** *III. n. 138.*
3) S. R. C. 4 Febr. 1871, n. 3234, ad I, q. IV.

viale erunt semper albi coloris, etiam in altero triduo Majoris hebdomadæ [1].

91. Si in Pyxide Sacramentum deferat, duo hæc Sacerdos advertat: *a*) extractam e Tabernaculo Pyxidem mox aperiat et introspiciat, ne forte contingat eam vacuam esse; *b*) manibus non nudum Pyxidis pedem, sed et conopeum pedi adstrictum teneat, ne periculum sit, quod in via operculum amoveatur et sacræ Particulæ dispergantur. Si parvâ thecâ utatur, hæc procuret: *a*) bene eadem munda sit; *b*) includatur bursæ ex velo serico decenter ornatæ; *c*) si longius et asperum sit iter, et multo magis si vehiculo aut equo incedendum sit, thecam in sua bursa collo appendat et alliget, ut neque theca decidere, nec ex ea Sacramentum excuti queat.

92. Procedendum est tum a Sacerdote deferente, tum a ceteris Clericis et laicis *capite prorsus detecto*. Interrogata S. C.: « Utrum in deferendo SS. Eucharistiæ Sacramento pro sacro Viatico publice infirmis ministrando, sed sine baldacchino, toleranda sit consuetudo procedendi a Parocho vel Ministro capite cooperto per viam, fidelibus tamen nudato capite incedentibus? » Respondit: « Consuetudo, de qua in casu, tamquam abusus est eliminanda » [2].

Licentia deferendi SS. Viaticum infirmis capite saltem parvo pileolo contecto ab Episcopis concedi nequit, nisi ex speciali facultate Sacræ Congregationis.

1) S. R. C. 26 Mart. 1859, n. 3086, ad V, et 15 Maji 1745, n. 2383.

2) S. R. C. 31 Augusti 1872, n. 3276, ad II. Inde patet Rubricam esse omnino *præceptivam*.

Facilius permittitur usus equi, vel cujuscumque vehiculi, præsertim tempore epidemiæ, et in casu magnæ distantiæ domus infirmi ab Ecclesia ; semper tamen, præter casum inopinatum, de consensu Episcopi.

Præter unam laternam, quæ, quantum fieri potest, numquam erit omittenda, Rituale præscribit etiam intorticia. Tamen pro intorticiis adhiberi possunt aliæ quatuor laternæ hastis superpositæ, ut pro Romano clero præscripsit Benedictus XIII. in Concilio Romano a. 1725. Aut baldacchinum, aut saltem umbella semper adhibeatur ; super Altare tum in egressu Processionis, tum in regressu quatuor cerei, vel duo saltem ardeant. Hucusque de præparatione hujus functionis ; nunc de ipsius ritu.

93. Postquam Sacerdos, strato super Altare corporali, et aperto Tabernaculo, simplicem genuflexionem fecerit, Pyxidem vel thecam cum SS. Sacramento super ipsum deponet, et post clausum Tabernaculum, in suppedaneo genuflexus velum humerale a Clerico accipiet ; mox assurgens, sinistra manu Pyxidem vel thecam accipiet, quam dextera extremitatibus veli humeralis anterioribus cooperiet. Ad populum per suam dexteram conversus intonabit Psalmum *Miserere*. Forma loquendi Ritualis, et consensus auctorum ostendit posse et pro morum diversitate, et pro necessitate mutationem induci, ut loco Psalmi *Miserere* possint alia Cantica, vel Hymni, vel preces communes substitui. Ita si contingat paucos et ignorantes fideles huic Processioni interesse, licebit communes preces, puta *Pater*, *Ave* et *Gloria*, iterare, aut cantiunculas in honorem SS. Sacramenti intermiscere, aut etiam Rosarium recitare.

Sacerdos domum ingressus, dum scalas ascendit,

recitare poterit privatim Psalmum *Magnificat*, dum descendit Psalmum *Laudate pueri*, vel *Laudate Dominum* etc. Interim fideles ad januam genuflexi orent pro infirmo, recitando Litanias Lauretanas, vel alias preces. Si statim Processio dissolvenda sit, videtur tolerari posse consuetudo, quod Sacerdos, antequam domum ingrediatur, cum SS. Sacramento fidelibus benedicat [1].

Dum cubiculum infirmi ingreditur, dicat : *Pax huic domui*. Cui minister respondeat : *Et omnibus habitantibus in ea*. Interim minister extendat corporale, vel in ejus defectu pallam super mensam linteo mundo coopertam, et candelas vel saltem lumina accendat. Sacerdos, deposito super illud SS. Sacramento, genuflectat, et accepto aspersorio infirmum et cubiculum aspergat dicens : *Asperges me* etc. cetera prosequens prout in Rituali habentur, etiam si tempore paschali Eucharistiam infirmis deferat [2].

94. Post hæc inserit Rituale monitum ad moralem Theologiam magis pertinens, quam ad Ligiam. « Accedat ad infirmum, ut cognoscat num sit bene dispositus ad suscipiendum sacrum Viaticum, utrum velit aliqua peccata confiteri ; et illum audiat atque absolvat ». Hæc, utique generatim loquendo, opportuna sunt ; speciatim vero sunt necessaria in casu, quo propter nimiam distantiam do-

1) Cf. Responsa S. R. C. 7 Apr. 1832, n. 2690. ad II, et 12 Sept. 1857, n. 3059, ad XVIII. Ex his quidam deducunt Benedictionem pluries (non tamen nimis) dari posse, si adsit consuetudo. Ita **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 191, 14;* Opus *Sacra Liturgia Quæst. 208*. Notandum tamen quod in dictis responsis agebatur de consuetudine a S. C. approbata *de speciali gratia* ob peculiaria adjuncta.

2) S. R. C. 11 Febr. 1702, n. 2089, ad VII.

mus infirmi ab Ecclesia, et periculi gravitatem, Sacerdos, quum primo ad infirmum accedit, etiam SS. Eucharistiam, et sanctum Oleum secum deferat. Ceterum, quoad fieri potest, Parochus vel aliquis Sacerdos, vel proprius Confessarius curet infirmum adire ejusque confessionem excipere antequam SS. Sacramentum deferatur : et tunc Sacerdos sacrum Viaticum deferens, post recitatam orationem *Exaudi,* reliqua immediate prosequatur. Qua ratione procedendum sit in casu quo Sacerdos debeat immediate ante Viaticum audire infirmi confessionem, quo præsertim studio a quovis scandali vel infamiæ periculo cavendum sit in casu quo infirmus indispositus inveniatur, diffuse pertractant auctores Theologiæ moralis.

95. Fiat Confessio generalis per formulam consuetam *Confiteor Deo,* sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio; et hoc etiamsi jam infirmus nuper confessus fuerit.

Iterim Sacerdos Pyxidem vel thecam aperit; dein, facta genuflexione, ad infirmum conversus dicit: *Misereatur* etc., *Indulgentiam* etc. — Quæres, num in numero singulari *Misereatur tui,* an in plurali *Misereatur vestri?* — Resp.: Alii affirmant adhibendum esse numerum singularem [1]; alii pluralem [2]; alii accedunt illis, si Communio detur per Viaticum, istis, si ex devotione [3]. Quum tanta sit opinionum varietas, in nosocomiis et quoties plures sunt infirmi eadem functione in eadem domo com-

1) **Martinucci,** qui affirmat hanc esse Rubricistarum sententiam. *Man. SS. cærem. Lib. IV. Cap. VII. num. 17* in nota; *Il Monit. Eccles. Ser. I. Vol. VII. P. I.* pag. 93, etc.

2) *Ephem. liturg.* 1887 pag. 532.

3) **De Herdt** *S. Liturg. Praxis P. VII. num. 191, 192,* et Opus *Sacra Liturgia. Quæst. 203.*

municandi, adhibeatur numerus pluralis [1]; ubi unus est, singularis: ceterum nullibi lex exsistit.

In quibusdam antiquis Ritualibus hic habebatur inserta professio fidei emittenda ab infirmo; fides autem exigebatur in ipsum SS. Eucharistiæ Sacramentum, dein in præcipuas veritates Christianæ Religionis. Profecto, quamvis hujusmodi professio non præscribatur, certe laudabiliter fieri potest; ut vero a Sacerdotibus fiat, maxime decet.

Facta genuflexione, Sacerdos accipit Particulam unam, et ad infirmum conversus dicit: *Ecce Agnus Dei,* et ter: *Domine non sum dignus;* nil omnino mutans pro femina: posteriora verba recitanda essent submissa voce etiam ab infirmo, saltem semel. Mox sacram Particulam porrigit infirmo. Formula duplex est: si Eucharistia detur infirmo ad modum Viatici, erit ea: *Accipe frater* (vel *soror*) *Viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat in vita æternam. Amen* [2]: si detur infirmo jejuno ex devotione communicanti, erit consueta: *Corpus Domini nostri* etc. [3].

96. Prosequitur Rituale: « Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, et infirmo detur ablutio ». Scilicet, sit in Pyxide maneat adhuc Sacramentum, hac deposita, genuflectat, digitos super ipsam

1) In eo casu omnia dicantur in plurali præter formulam Communionis. **De Herdt** loc. cit. *n. 196.*

2) Cf. tamen **S. Alphonsus** *Theol. Mor. Lib. VI. n. 285, Dub. 4.*

3) S. R. C. 13 Febr. 1892, n. 3767 ad III. Dub. Addition. Num, præter infirmum, possint et sani in eadem domo communicari, negandum videtur, nisi forte, quod non tam facile est supponendum, sit eis impossibile, propter adsistentiam quam debent infirmo, Ecclesiam adire ad satisfaciendum præcepto paschali.

abstergat, dein in vasculo aquæ abluat; secus abluat statim. Ablutio detur infirmo, sive ab ipso Sacerdote, sive ab aliis; si quid supersit, effundatur super ignem. Alia purificandi methodus proponitur a Baruffaldo in h. l. « Immerso aliquantisper purificatorio in vase aquæ parato, Sacerdos lino illo madido digitos abluat uno tempore et tergat ». Purificatorium reponatur in bursa.

Purificatis digitis Sacerdos dicit: *Dominus vobiscum,* et sequentem orationem: *Domine sancte Pater.* Dein, si unica allata est Particula, manu benedicit infirmo dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris † et Filii et Spiritus sancti descendat super te, et maneat semper. Amen.* Tum singuli ad Ecclesiam vel propriam domum redeunt privatim [1]. Si vero SS. Sacramentum adhuc in sacra Pyxide supersit, Sacerdos post orationem genuflectit, et accipiens Pyxidem ac extremitatibus veli cooperiens, Benedictionem largitur infirmo, nihil dicens; post hæc, ordine antea servato, Processio redibit ad Ecclesiam.

97. In reditu, Rituale suggerit recitandum Psalmum *Laudate Dominum de cœlis,* et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret. Verum, ut antea, ita et hic data videtur facultas, ut pro diversa consuetudine, aut etiam necessitate, aliæ preces recitentur; certe non improbanda praxis satis communis canendi in reditu Hymnum Ambrosianum, et concludendi postea ad Altare Hymnum *Pange lingua:* forte hic alter supponitur a Rituali, prout conjiciunt Baruffaldus, et Catalanus.

Quum ascenderit Altare, Sacerdos deponet Pyxidem super corporale, et facta simplici genuflexione,

1) Si Diaconus SS. Viaticum detulerit, hanc Benedictionem omittet.

paulisper ad cornu Evangelii se retrahens descendit, et cetera prosequitur genuflexus in medio infimo gradu.

Quæres: An sit incensandum SS. Sacramentum ad strophem *Genitori?*

Resp. Rituale nihil habet; ex iis quæ alibi indicavimus patet id improbandum non esse.

Post versiculum *Panem de cælo* (absque *Alleluja* etiam tempore paschali) addendum prorsus est *Dominus vobiscum;* oratio *Deus qui nobis* dicenda est quovis tempore, etiam paschali, et concludenda est cum conclusione longa *Qui vivis et regnas cum Deo Patre* etc [1].

Subdit Rituale n. 22: « Deinde annuntiat indulgentias » etc. Si tamen frequenter a Parocho fidelibus concionante publicentur, non erit opus toties easdem annuntiare; poterunt etiam annuntiari ante strophem *Tantum ergo*, recitando pro earum consecutione simul cum fidelibus ter *Pater*, *Ave* et *Gloria,* vel alias preces ad mentem Romanorum Pontificum, qui easdem concesserunt.

Post orationem, vel post annuntiatas indulgentias, ascendit iterum Altare, genuflectit, Pyxidem velo humerali cooperit, et ad populum conversus, cum Sacramento facit signum Crucis super adstantes, nihil dicens [2]. Dein Pyxide super corporale reposita, genuflectit iterum, dimittit velum humerale, et aperto ostiolo Tabernaculi, Pyxidem reponit, iterum genuflectit ac Tabernaculum claudit. Plicato ac reposito corporali in sua bursa, descendit et,

1) Ita ex Rituali, et S. R. C. 11 Febr. 1702, n. 2089, ad VII, 11 Junii 1880, n. 3515, ad II.

2) Si in Altari expositum forte sit SS. Sacramentum, non ideo Benedictio omittenda erit. Cf. *Ephem. lit.* 1888 pag. 682.

facta in plano genuflexione, in sacristiam revertitur.

Interrogata S. R. C.: « An Diaconus, qui ex mandato Vicarii apostolici defert Viaticum infirmis, possit facere aspersionem Aquæ benedictæ, dicere *Misereatur* et *Indulgentiam*, signare infirmum, dicere *Dominus vobiscum* cum oratione et benedicere cum SS. Sacramento infirmum et adsistentes? » Respondit: « Deficiente Presbytero, et Vicarii apostolici concurrente licentia, Affirmative » [1].

98. Quæres: 1.° Quænam methodus servanda, si forte Viaticum administrandum sit altero triduo Majoris Hebdomadæ?

Respondeo: Eadem quæ fuit superius exposita, præ oculis tantum habendo quod si sacrum Viaticum deferri debeat ad infirmum Feria V. in Cœna Domini post Missam solemnem, Feria VI. in Parasceve, et Sabbato sancto ante Missæ solemnis celebrationem, pulsabitur crotalus, et Parochus adhibebit stolam et velum humerale coloris albi, sicuti et umbellam quæ super Sacramentum deferetur; voce submissa, imo submississima recitabuntur per viam Psalmi consueti cum *Gloria Patri* in fine, et postea populus sine Benedictione dimittetur [2]. Forte opportunius erit hoc tempore, ut unica tantum Particula assumatur, et dein ad domum infirmi, non impertiendo fidelibus Benedictionem, Processio dissolvatur.

Quæres: 2.° Quomodo Communio sit administranda in nosocomiis?

Respondeo: In nosocomiis potest Sacerdos, infra Missam, recitatis ad Altare precibus, quæ Com-

1) S. R. C. 14 Augusti 1858, n. 3074, ad I.
2) S. R. C. 15 Maji 1745, n. 2383.

munionem antecedunt, cum Pyxide, sine velo humerali, saltem a duobus candelas deferentibus comitatus, et omnino sub umbella, Eucharistiam deferre, nihil interim dicens, ad infirmos in toto valetudinario, imo et in cubiculis ex quibus, etsi Altare non videatur, vox tamen Sacerdotis celebrantis auditur [1]. Quod et in domibus privatis, ubi ex Indulto extat Oratorium, observari potest.

At si nimia si distantia ab Altari, ita ut hoc videri aut vox celebrantis audiri non possit, Communio ferenda est post expletam Missam, eo modo quo ad infirmos communiter fertur [2].

CAPUT VII.

De Expositione privata SS. Sacramenti.

99. Venit hoc nomine functio illa, qua, aperto Tabernaculi ostiolo, exponitur fidelibus SS. Sacramentum in Pyxide reconditum. Hujusmodi Expositio, quum sit privata, ex causa etiam particulari, puta pro salute personæ infirmæ impetranda, et multo magis pro causa publica quamvis non gravi, fieri potest, etiam absque licentia Ordinarii.

Ritum hujus Expositionis exhibet Benedictus XIV. in sua *Institutione* XXX. referendo inter alia Decretum S. C. Epp. et Regg. die 6 Decembris 1602. Ardeant super Altare saltem sex cerei: Sacerdos

1) S. R. C. 19 Dec. 1829, n. 2672, ad I, et 7 Febr. 1874, n. 3322, ad I et II.

2) Cf. **Arato.** *Manuale* ecc. *per l'accompagnamento del SS. Viatico* pag. 73, et S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2885.

superpelliceo et stola alba, vel etiam pluviali ejusdem coloris indutus, facta in plano genuflexione, Altare conscendit, Tabernaculum aperit, Pyxidem ad anteriorem partem ciborii attrahit, quin ullatenus extrahat, tum facta simplici genuflexione, paulisper ad cornu Evangelii se retrahens, in planum descendit, ibique, super infimum gradum genuflexus, profunde cum Clericis adsistentibus se inclinat; mox se erigens, thus in thuribulum injicit absque Benedictione, et, quin permittat suam manum ministrum osculari, SS. Sacramentum genuflexus ter incensat [1]. Deinde preces juxta causam Expositionis recitat, quæ tamen debent esse omnes ex approbatis a S. Sede, vel saltem ab Ordinario [2]; easque concludit per Hymnum *Pange lingua*, vel saltem per ultimas duas strophes *Tantum ergo* etc. Dum hæc strophes cantatur, iterum incensum ponit in thuribulo, quin ulterius post versum *Veneremur cernui* se inclinet; dum vero canitur postrema *Genitori*, iterum Sacramentum adolet. Post versum et orationem *Deus qui nobis*, Altare ascendit, factaque ibidem simplici genuflexione, Pyxidem penitus in Tabernaculum introducit, ejusque ostiolum claudit: mox recta descendens, facit in plano genuflexionem et in sacristiam redit.

100. Dicunt quod in hac privata Expositione nullatenus extrahenda est Pyxis e Tabernaculo, neque cum ea populo est benedicendum; et idem

1) Attamen omissio incensationis conformior est Ecclesiæ praxi in benedictione cum Pyxide. S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2957. Sed minime licet extrahere e ciborio SS. Sacramentum et cum eo immediate benedicere populum ac statim ipsum recondere, quin prius vel postea aliquid cantetur vel dicatur. S. R. C. 7 Julii 1876, n. 3402, ad I.

2) S. R. C. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad VIII.

Benedictus XIV. affirmat consuetudinem benedicendi populo cum sacra Pyxide, præterquam post Viaticum, *tolerandam esse ubi viget,* alibi vero minime inducendam. Quinimo interrogata S. R. C.: « Est ne toleranda praxis extrahendi e Tabernaculo sacram Pyxidem, eamque velatam sub umbella collocandi, populo benedicendi gratia? » Respondit: « Detur Instructio edita a s. m. Benedicto Pp. XIV. hoc est: Eucharistiæ Tabernaculum solum aperiatur, et sacra Pyxis clausa suoque velamine obtecta populi oculis objiciatur. Verum penitus interdicitur sacram Pyxidem extra Tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari, quum nullum hujus ritus vestigium apud scriptores, nullaque Sedis Apostolicæ, quam sequi omnino debemus, consuetudo deprehendatur » [1].

Verumtamen in hac Instructione, ac proinde in ipso S. C. responso, duæ partes sunt distinguendæ: *a*) Quod sacra Pyxis in throno sub umbella collocetur, id vetitum esse videtur *explicite* [2]. *b*) Quod cum eadem e Tabernaculo extracta populo benedicatur, id *implicite* tantum vetitum, vel potius improbatum esse videtur. Quare paulisper factum est, ut, quum præsertim Romæ consuetudo benedicendi populo cum Pyxide satis communis evaserit, et auctores quidam eam prorsus licere censuerint, et insuper ss. D.nus Pp. Leo XIII. hujusmodi Benedictionem pro recitatione SS. Rosarii per mensem Octobrem expresse probaverit, nunc, assentiente S. R. C., eadem Benedictio cum sacra Pyxide ex causa publica generatim licere dicenda

1) S. R. C. 16 Martii 1876, n. 3394, ad I.
2) Idem S. R. C. declaravit expresse 23 Maji 1835, n. 2725, ad IV.

sit. Exstant enim ejusdem S. C. responsa: « I. Quum ex nonnullis SS. RR. CC. responsis aliqui putent sacram Pyxidem aperto Tabernaculi ostiolo posse fidelium pietati exponi, minime tamen extrahi; alii vero opinentur educi posse tantum, ut cum ea populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus Ecclesiis Regularium; quæritur, num hujusmodi consuetudo admitti possit? Et quatenus *Negative;* II. Permitti ne potest vi consuetudinis illis Congregationibus, seu Religiosis familiis, quæ ita facere consueverunt? III: Concedi ne potest prudenti arbitrio Ordinarii etiam aliis Congregationibus id petentibus? » S. C. respondit: « Ad I. Affirmative. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Affirmative » [1]. Et aliud: « An post expositionem privatam SS. Sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem Venerabili Sacramento in Pyxide recondito? » S. C. respondit: « Affirmative » [2].

Hæc Benedictio, si detur, largienda est fidelibus per signum Crucis, quod Sacerdos efformat super eos cum sacra Pyxide extremitatibus veli humeralis anterioribus contecta [3]: in eo casu præter superpelliceum, stolam ac velum, assumendum esse videretur quoque pluviale.

101. Alicubi in usu est alia forma Expositionis, quæ dici potest *semipublica,* de qua agit Benedictus XIV. in citata Instructione n. 22. In eo consistit quod sacra Hostia in sphæra, seu Ostensorio sub umbraculo, vel in throno collocetur, velo tamen obducto, ne fidelibus sacræ Hostiæ pateat adspectus.

1) S. R. C. 16 Januarii 1886, n. 3650.
2) S. R. C. 30 Nov. 1895, n. 3875, ad III.
3) S. R. C. 13 Julii 1883, n. 3582, ad I.

Pro ea idem Pontifex exigit « ut saltem cerei bis sex accendantur, et Sacerdos aliquis stola ac superpelliceo indutus ibi flexis genibus precibus detineatur ».

CAPUT VIII.

De Expositione publica SS. Sacramenti.

102. Appellatur *publica* ea Expositio, qua SS. Sacramentum Ostensorio inclusum fidelibus adorandum proponitur, adeo ut sacra Hostia per crystallum sit adstantibus conspicua [1]. Hujusmodi Expositio nonnisi ex causa publica fieri potest, et cum licentia Ordinarii; et, si majores Basilicæ excipiantur, in Altari majori regulariter facienda est [2].

Convenit in primis opportune Altare Expositionis disponere et decenter ornare. In medio Altaris super gradum supremum ejusdem, vel super Tabernaculum ponatur thronus eleganter elaboratus et cælaturis aureis vel argenteis præditus, velisque sericis albi coloris ornatus; in ejus fastigio corona emineat; in planitie palla munda, non vero pulvinar [3], sternatur tantæ amplitudinis, quæ totum

1) Ostensorium decet esse ex auro vel argento; at permittitur quoque ex cupro deaurato a S. R. C. 31 Augusti 1867, n. 3162, ad VI. item et lunula: tum hæc, tum illud benedicenda sunt a Sacerdote habente facultatem benedicendi sacra indumenta: hæc cum formula cui titulus in Rituali *Benedictio Tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda,* pro illo habetur in Appendice Ritualis Benedictio propria.

2) Cf. S. R. C. 14 Dec. 1883, n. 3599, ad I.

3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3156, ad IX.

pedem Ostensorii capere valeat [1]. Hinc inde candelabra apte disponantur, super quæ cerei saltem duodecim semper ardeant [2]; inter candelabra vasa florum sive naturalium, sive, in eorum defectu, artificialium collocentur; pallium et conopeum Altaris sint semper albi coloris, quicumque sit color officii [3]; super gradus sternatur tapetum; super Altare Expositionis exponi non possunt Reliquiæ Sanctorum [4]. Omnino curandum est, ut tempore Expositionis numquam intermittatur cleri et populi adoratio.

103. Circa ritum Expositionis faciendæ, quadruplex forma indicatur a P. Aloisio a Carpo pro

1) Crux Altaris minime collocari potest in throno ad Expositionem SS. Sacramenti destinato; multo minus licebit eam pallæ aut corporali superimponere. S. R. C. 2 Junii 1883, n. 3576, ad III.

2) S. R. C. 8 Febr. 1879, n. 3480. Serventur, quoad numerum majorem cereorum, consuetudines singulorum locorum, aut statuta diœcesana.

3) « Si Expositio, vel repositio fiat immediate ante vel post Missam, ita ut sacri Ministri ab Altari non recedant, licebit retinere Altaris ornamenta coloris quem exigit Officium diei » S. R. C. 1 Dec. 1882, n. 3559. Si Sacramento exposito cantatur Missa pro quacumque tribulatione, omnia in paramentis violaceis (non excluso pluviali) sunt peragenda. S. R. C. 27 Junii 1868, n. 3175, ad III.

4) S. R. C. 2 Sept. 1741, n. 2365, ad I, 19 Maji 1838, n. 2779. In aliis vero Altaribus nec reliquias velare est necesse, omissis tamen, durante Expositione, benedictione et osculo earum (S. R. C. 17 Julii 1900, ad II.), nec imagines et Sanctorum effigies, et hæ ne quidem in ipso Altari Expositionis, nisi agatur de Expositione perpetua, vel in forma XL Horarum. S. R. C. 14 Dec. 1883, n. 3599, ad III, et 11 Martii 1871, n. 3241, ad IV. Cf. **Gardellini.** *Comment. ad Instr. Clement. §. III.* in *Collect. Auth. Decr. S. R. C. Vol. IV.* Non sequitur tamen improbandam esse consuetudinem imagines illas tegendi.

diverso numero Ministrorum [1]. Scilicet, aliquando erit unus Sacerdos hanc functionem peragens cum Clericis, aut etiam absque illis; aliquando erit Sacerdos cum alio Sacerdote vel Diacono adsistente; aliquando Sacerdos cum Diacono et Subdiacono paramentis proprii ordinis indutis; aliquando tandem præter Sacerdotem et Ministros paratos adesse potest alius Sacerdos vel Diaconus adsistens. In primo casu SS. Eucharistiam exponit Celebrans ipse, in altero et in quarto Sacerdos vel Diaconus adsistens, in tertio Diaconus tunicella indutus.

Qui SS. Sacramentum exponit, quicumque ille sit, superpelliceo saltem et stola [2], et in primo casu etiam pluviali, albi coloris indutus, postquam et ipse et ceteri Clerici vel sacri Ministri adstantes in plano genuflexerint, ad suppedaneum Altaris ascendit [3], extendit corporale, Ostensorium discooperit ac ponit super corporale a parte Evangelii; tum Tabernaculum aperit, cortinam, si adsit, ad alterutrum latus removet, et unico genu flectit; capsula e Tabernaculo educta, inde SS. Hostiam extrahit, et in Ostensorio collocat [4], cavens ne illam digitis tangat; dein Ostensorium in medio corporali ita ponit, ut pars ejusdem anterior populum respiciat. Dum se retrahit ad latus Epistolæ,

1) **Al. a Carpo** *Cæremoniale P. III. n. 186.*

2) « Si agatur de (sola) Expositione et repositione SS. Sacramenti, sufficit ut Sacerdos cotta et stola sit indutus; numquam cum alba, cingulo et stola tantum » S. R. C. 7 Dec. 1888, n. 3697, ad XII.

3) In casu secundo et quarto Sacerdos vel Diaconus stolam sibi imponit in presbyterio, antequam ascensurus faciat in plano genuflexionem; eamdemque, quum descenderit, exuit.

4) Interrogata S. C. R. « Numquid ad sacram Hostiam in Ostensorio exponendam uti liceat lunula, quæ consistit ex duobus orbiculis vitreis tenui limbo vel circulo argenteo

Clericus scalam seu scabellum ponit in medio suppenadeo : utrerque in latere suo genuflectit [1], Sacerdos accepto dextera manu Ostensorio, scalam asendit (Clerico interim dexterâ ipsius sinistram tenente, sinistrâ fimbriam vestis aut etiam albæ sublevante), et illud in suo throno collocat. Exposito SS. Sacramento, descendit ac iterum in suppedaneo genuflectit, et per latus Epistolæ [2] descendit in planum, ubi super infimum gradum genuflexus profundam faciet SS. Sacramento reverentiam.

104. Tum Sacerdos Celebrans imponit thus in thuribulo absque osculis et benedictione, et genuflexus in infimo gradu Sacramentum, præmissa profunda inclinatione, duplici ictu in triplici ductu, incensat [3], iterumque se profunde inclinat, et thuribulum thuriferario restituit. Preces quæ in functionibus liturgicis ante SS. Sacramentum expositum recitentur, et cantus qui interserantur, debent esse

deaurato circumjunctis et claudendis, ita ut sacra Hostia subter inhærcat ipsi circulo argenteo, ast ante et retro vitreos orbiculos ipsos immediate tangat, et per eos erecta teneatur? » Resp.: « Non decere sacras species inter vitreas laminas includere, quarum superficies illas immediate tangat ». 4 Febr. 1871, n. 3234, ad IV.

1) Circa ritum genuflectendi coram SS. Sacramento exposito, S. R. C. interrogata respondit: « In accessu et recessu utroque genu: intra Missam unico genu; pro reliquis functionibus, consulantur Rubricistæ: » 12 Nov. 1831, n. 2682, ad XLIX. Porro « Rubricistæ stant pro genuflexione simplici » (*Ephemer. liturg.* 1888 pag. 587). Ergo. — Tamen singulis fas erit, imo et necessarium, sequi consuetudinem genuflectendi utroque genu, ubicumque exsistat, et sit a Præsulibus saltem tacite probata.

2) Si exponit Celebrans, descendet e latere Evangelii.

3) « Consuetudo exponendi SS. Sacramentum absque incensatione est prorsus eliminanda ». S. R. C. 30 Junii 1883, n. 3580, ad VI.

omnino ex approbatis saltem ab Ordinario [1]. Preces et cantus in lingua vulgari admitti possunt, dummodo non agatur de Hymno *Te Deum* et aliis precibus liturgicis, quæ nonnisi latina lingua recitari aut decantari debent [2]. Toleranda consuetudo, ubi adsit, concludendi Psalmum *Miserere* vel *De profundis* cum versiculo *Requiem;* at ubi consuetudo non adsit, non est introducenda [3].

Si post factam Expositionem ab Altari recedendum sit, Celebrans et Ministri ceterique Clerici omnes utrumque genu flectant in plano cum profunda capitis inclinatione, nec ante caput operiant, quam e presbyterio egressi fuerint, aut a conspectu SS. Sacramenti recesserint. Item omnes, qui hac publica Expositione durante transeant ante Altare, eodem modo ante SS. Sacramentum genuflectere debent: si Sacerdos transeat deferens Calicem in manibus, prius genuflectat, caput detegat, quin birretum ponat super Calicem, dein profunde se inclinet, caput operiat et surgat: si Calicem manibus non teneat, prius caput detegat, tum genuflectat et profunde se inclinet, surgat, et caput operiat. Quod si non ante Altare, sed e latere transeat, tunc tantummodo prædicto ritu genuflectat, quum commode SS. Sacramentum videre potest.

1) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, ad VIII.

2) S. R. C. 27 Febr. 1882, n. 3537. Et quamvis ex resp. 3 Aug. 1839, n. 2791, ad II, permitti possit cantus alicujus versiculi vernacula lingua concepti, sed post benedictionem, tamen ex resp. 11 Mart. 1871, n. 3237, ad I, licet continuare usum recitandi laudes *Dio sia benedetto* etc. sive ante, sive post benedictionem.

3) S. R. C. 12 Aug. 1884, n. 3616 et 13 Jun. 1891, n. 3748, ad II.

105. Si ad reponendum SS. Sacramentum Sacerdos cum Ministris veniat e sacrario, omnes caput detegent, sive quum presbyterium ingredientur, sive quum in conspectum venerint SS. Sacramenti; quum ad Altare pervenerint, utrumque flectant genu cum profunda inclinatione, dein genuflexi orent super infimum gradum Altaris. « In Processionibus et Benedictione cum SS. Sacramento in Ostensorio impertienda omnino requiritur ut Celebrans pluviale et velum humerale induat » [1].

Antequam SS. Sacramentum reponatur, cantetur vel totus Hymnus *Pange lingua,* vel saltem ejusdem strophes postremæ *Tantum ergo* etc. [2]. Ad versum *Veneremur cernui* omnes profunde inclinentur; dein, posito thure in thuribulo absque osculis et Benedictione, Celebrans SS. Sacramentum incenset eodem modo ac in Expositione factum est. Post versum *Panem de cœlo* etc. (addito tempore paschali et per octavam Corporis Christi *Alleluja*), omisso *Dominus vobiscum*, dicat orationem *Deus qui nobis* cum conclusione *Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum* [3]; quin antea, aut postea caput inclinet, vel genu flectat [4]: si dicendæ sint et aliæ orationes, pro conclusione attendatur ad tenorem postremæ.

106. Post ultimam orationem, dum Clericus Celebranti velum humerale imponit, Diaconus, vel alius Sacerdos aut Diaconus adsistens, Sacramentum detrahit e throno. Scilicet ascendens suppedaneum

1) S. R. C. 17 Dec. 1888, n. 3697, ad XII. Ex eodem apparet non obsolute albam præcribi, sed loco ejus cottam sufficere.
2) S. R. C. 15 Apr. 1880, n. 3513.
3) S. R. C. 10 Sept. 1718, n. 2252.
4) S. R. C. 2 Aug. 1698, n. 2008.

ibidem cum Clerico qui scalam apposuit, genuflectit (unico, vel utroque genu pro diversa consuetudine), scalam conscendit et accipiens dexterâ Ostensorium descendit, et collocat super corporale, ita ut pars anterior populum respiciat; facta iterum genuflexione descendit, ut genuflectat vel in gradu supremo, vel in infimo pro diverso ordine quem exercet. Tum Sacerdos, quin ullatenus se inclinet, ascendit, in suppedaneo unicum vel utrumque genu flectit, erectus ita Ostensorium vertit, ut pars anterior Tabernaculum respiciat, ejusque pedem extremitatibus anterioribus veli cooperit; dein per suam dexteram ad populum conversus eidem benedicit [1].

107. Ritus hujus Benedictionis determinatur in *Cæremoniali Episcoporum* et in *Rituali;* ut nempe cum SS. Sacramento simplex signum Crucis fiat super fideles adstantes [2]. Extensio hujus signi Crucis, et jam per analogiam determinatur, et expressius ab auctoribus. Ita A Carpo: « Sacerdos stans elevat Ostensorium usque ad oculos, et continuo infra pectus demittit; mox iterum attollit usque ad superiorem pectoris partem, et exinde ad sinistrum humerum ducit, quin pedes dimoveat, ac reducit ad dexterum; quo facto per cornu Evangelii convertit se ad Altare, et Ostensorium ibi reponit, ut prius » [3]. Iisdem fere verbis Baruffaldus, Catalanus, Martinucci, Fumagalli et alii commu-

1) Juxta praxim Romanam, Diaconus Ostensorium celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante. S. R. C. 14 Jan. 1898, n. 3975, ad IV. Benedictio danda est post orationem, non ad versum *Sit et benedictio.* S. R. C. 5 Febr. 1639, n. 665.

2) *Cærem. Epp. L. II. Cap. 23. Rituale Rom. Tit. De Processione in festo Corporis Christi.*

3) **A Carpo** *Cæremoniale P. III. n. 190.*

niter. Quinimo eamdem Crucis extensionem probavit S. C. R. [1]. Hinc patet nullatenus probari posse praxim quorumdam locorum, juxta quam Sacerdos benedicens elevat Ostensorium super caput, ita vero ad sinistram ac dexteram partem convertit, ut illud sive pedes in gyrum movendo, sive corpus intorquendo, utrique parieti e fronte opponat: latera hujus Crucis nullatenus a recta linea deflectant [2].

Dum Sacerdos hoc ritu fidelibus benedicit, nec ipse quidquam dicere, nec cantores aut populus quidpiam canere permittuntur [3]; organi tantum sonitus poterit fidelium devotionem conciliare. « In Expositione SS. Eucharistiæ Sacramenti, dum a Sacerdote Benedictio fidelibus impartitur, debet nec ne thuriferarius incensare Sanctissimum? » S. R. C. respondit: « Non præscribi, et servandam consuetudinem locorum » [4].

Postquam Sacerdos signum Crucis super fideles perfecerit, poterit idem Sacramentum ante pectus reducere, ibique sistere aliquantulum; communior tamen usus est, Romæ præsertim, ut perfecto signo Crucis, mox Sacerdos gyrum perficiat, ac statim super Altare Ostensorium reponat. Facta genuflexione, se retrahit in cornu Evangelii, indeque in planum descendit, et super infimum gradum genuflectit, nulla facta inclinatione. Interim suppedaneum ascendit Diaconus, vel Sacerdos adsistens;

1) S. R. C. 21 Mart. 1676, n. 1563, ad II.
2) Sacerdos Ostensorium « *recta linea* ad sinistrum humerum ducit, et *recta linea* reducit ad dextrum ». **De Herdt** S. *Lit. Praxis P. II. n. 68.*
3) S. R. C. 11 Julii 1857, n. 3058, ad II.
4) S. R. C. 7 Sept. 1861, n. 3108, ad VI. Cf. Resp. 11 Sept. 1847, n. 2956, ad IX.

genuflectit, extractam ab Ostensorio sacram Hostiam reponit in sua custodia, Ostensorium cooperit velo albo et in cornu Epistolæ collocat, custodiam cum sacra Hostia ponit in Tabernaculo, illudque post simplicem genuflexionem claudit [1]. Dum hæc omnia peraguntur, clerus et populus recitare aut cantare possunt laudes consuetas *Dio sia benedetto,* quæ recitari aut cani possunt etiam dum SS. Sacramentum expositum manet [2]. Quum Sacerdos vel Diaconus ad dexteram Celebrantis descenderit, omnes simplicem faciunt genuflexionem, ac in sacrarium revertuntur.

108. Si forte et in reponendo SS. Sacramentum nullus adsit Diaconus vel Sacerdos adsistens, tunc Celebrans, assumpto post orationem velo humerali, gradus Altaris conscendit, et facta ibi genuflexione, Ostensorium e throno demittit; post datam populo Benedictionem, genuflexus deponit velum humerale, et SS. Sacramentum in custodia et in Tabernaculo ipsemet reponit. Omnia suadent curandum esse in hoc casu, ut thronus non adeo elevatus sit, ut in præjudicium gravitatis hujus functionis cogatur Celebrans cum Alba, pluviali et vèlo humerali super mensam Altaris conscendere.

Ad quæsitum: « An liceat pluries in eadem Ecclesia et eodem die impertiri Benedictionem cum SS. Sacramento occasione piarum congregationum, vel ad devotionem; item an liceat interrumpere Expositionem pro danda Benedictione ob causas indicatas? » S. R. C. respondit: « Ad primam et secundam partem: Juxta prudens Ordinarii arbi-

1) Si forte sacras species contigerit, digitos abluat in vasculo aquæ et purificatorio abstergat.

2) S. R. C. 11 Mart. 1871, n. 3237, ad I.

trium, evitata tamen nimia frequentia, et dummodo non agatur de Expositione XL Horarum » [1].

CAPUT IX.

De Expositione solemni SS. Sacramenti pro adoratione XL Horarum.

109. Circa hanc solemnem Expositionem celebris exstat Instructio edita jussu Clementis XI. a. 1705 pro usu Ecclesiarum Urbis. Quamvis hæc Instructio extra Urbem non obliget [2], tamen et commendabilis est praxis earum Ecclesiarum, quæ eamdem adoptarunt, et curandum est, ut, sive ex integro, sive ex ea qua fieri potest parte, apud alias quoque in usum deducatur. Quapropter generatim normas in ea statutas sequemur, non omittentes consuetudines probatas diversarum Ecclesiarum, recentiores S. R. C. declarationes et opiniones auctorum.

Essentia hujus Expositionis, tum pro Indulgentiis lucrandis, tum pro usu privilegiorum quæ fuere a S. R. C. concessa, in eo est, ut SS. Sacramentum adorationi fidelium solemni pompa expositum maneat per spatium quadraginta horarum in honorem temporis illius quo sanctissimum Christi Corpus

1) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad III. Num expediat frequenter SS. Sacramentum exponere, vide apud **De Herdt** *S. Lit. Praxis. P. II. n. 17-20.*

2) S. R. C. 12 Julii 1749, n. 2403. Exstat Instructio in *Collect. Auth. Decr. S. R. C. Vol. III. Append.* et Commentarium in eadem *Collect. Vol. IV.*

jacuit in sepulchro. Tamen hujus Expositionis forma duplex est, utraque, ni fallimur, a S. Sede probata. Romæ et in pluribus aliis civitatibus solemnis adoratio SS. Sacramenti diu noctuque non interrupte perdurat, adeo ut ab Expositione ad repositionem quadraginta horæ continenter habeantur, et hoc modo intra spatium duorum dierum eadem adoratio absolvatur. Pluribus aliis in locis SS. Sacramentum per horas diurnas tantum adorationi expositum manet, noctu vero in Tabernaculo reconditur, et hoc modo ad tres vel plures etiam dies hæc solemnis adoratio protrahitur [1]; quinimo quibusdam in locis per plures dies Expositio intermittitur, adeo ut SS. Sacramentum per tres consequentes Dominicas adorandum exponatur.

110. Omissâ tertiâ formâ Expositionis, pro qua requiri prorsus videtur Sedis Apostolicæ indultum, censemus non modo primâ, sed et secundâ servari essentiam Expositionis pro adoratione XL Horarum, saltem quum pro hac altera forma habeatur causa rationabilis, puta ne tempore nocturno scandala oriantur, et SS. Sacramentum adoratoribus careat. Et sane interrogata S. C. R. de collecta SS. Sacramenti in hac altera forma Expositionis recitanda aut omittenda, nullatenus formam improbavit, sed, eâ suppositâ, decrevit collectam omittendam esse horis matutinis quibus SS. Sacramentum in Tabernaculo asservatur [2]. Neque obstat S. C. responsum in *Brugen.* 12 Sept. 1840, n. 2814,

1) Alicubi Expositio ad decem vel quindecim dies ita distenditur, ut horis tantum opportunioribus singulorum dierum fiat. Apud **Mach** *Tesoro del Sacerdote Vol. II. Tratt. XVI.*

2) Cf. S. R. C. 27 Augusti 1836, n. 2745, ad VI. et Breve **Benedicti XIV.** 16 Aprilis 1746.

ad III. [1]; agebatur enim in quæsito de Expositione in singulis Ecclesiis per unum diem a summo mane ad vesperas, ac proinde essentia ipsa adorationis per XL horas desiderabatur.

Quum hæc Expositio omnino publica sit, patet ad eam requiri licentiam Ordinarii. Ex ordine dicemus de ritu exponendi, de servandis tempore Expositionis, de ritu reponendi.

111. **De ritu exponendi.** — Expositio facienda est per Missam solemnem, et Processionem. Missa solemnis regulariter celebranda est votiva de SS. Sacramento, in colore albo, cum *Gloria* et *Credo,* Præfatione de Nativitate [2]. « In Missa votiva SS. Sacramenti pro solemni ejusdem Expositione (ac repositione) omittenda est quælibet commemoratio et collecta. Infra octavam Corporis Christi Missa erit de octava eadem, cum Sequentia et unica oratione, absque commemorationibus et collectis. In Dominicis vero privilegiatis primæ et secundæ classis, in Festis pariter primæ et secundæ classis, Feria II. III. IV. Majoris hebdomadæ (a mane enim Feriæ V. ad mane Sabbati sancti a prædicta Expositione omnino est cessandum), omnibus diebus Octavæ Paschæ, Pentecostes et Epiphaniæ, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, nec non octavâ propriâ

1) Definitive obstaret responsum in *Bergom.* 18 Julii 1884 apud **Fumagalli** *Manuale P. IV. Cap. I. § 1:* at in Collectione Authentica non reperitur. — Ex responsione 12 Januarii 1878, n. 3438, ad IV. non prohibetur singulis diebus populo cum SS. Sacramento Benedictionem impartiri, sero, antequam idem SS. Sacramentum reponatur. Oportet tamen in hoc se conformare consuetudini loci.

2) Neque omittenda est hujusmodi Missa cum Expositio fit die 2 Nov. seu Commemorationis omnium Defunctorum, S. R. C. 9 Julii 1895, n. 3864, ad IV.

privilegiatâ, canenda est Missa diei currentis cum oratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, omissis commemorationibus et collectis. Quod si Festum aliquod primæ vel secundæ classis occurrat in Dominica, tunc secundo loco sub distincta conclusione fit commemoratio Dominicæ, et dicitur hujus Evangelium in fine » [1].

In celebratione hujus Missæ nihil speciale habetur usque ad Communionem *inclusive,* nisi quod binæ consecrantur Hostiæ, altera pro Sacrificio, altera pro Expositione facienda [2]. Statim ac Sacerdos SS. Sanguinem sumpsit, cæremoniarius ex abaco defert Ostensorium, albo velo coopertum, super Altare in cornu Epistolæ, ejusque velum amovet et ad abacum refert, facta in accessu et recessu simplici genuflexione. Diaconus, postquam cum Subdiacono locum mutavit, Ostensorium statuit super corporale; mox Celebrans, præmissa genuflexione, sacram Hostiam cum sua lunula aptat in Ostensorio: hoc Diaconus claudit, et ita collocat super corporale, ut pars anterior populum respiciat; dein, facta genuflexione simplici, iterum cum Subdiacono locum mutat.

Quæstio proposita fuit: « An in Missa Expositionis SS. Sacramenti pro oratione XL Horarum, velo cooperiendum sit Ostensorium cum SS. Sacramento, ut sic velatum permaneat super mensa Altaris ad finem usque Missæ? » S. C. respondit: « Negative; seu super mensa remanere debet,

1) S. C. R. 18 Maji 1883, n. 3574, ad V. Quibusnam diebus propter identitatem objecti omittenda sit SS. Sacramenti commemoratio, dicemus inferius.

2) Advertant Parochi hanc eamdem Hostiam et esse in Processione deferendam, et in throno exponendam.

nullo apposito velo » [1]. Cetera peragenda sunt uti quum Missa coram SS. Sacramento exposito celebratur; pro quo ritu ad alios auctores remittimus [2].

112. Post lectum ultimum Evangelium, Celebrans et Ministri, facta in plano et utriusque genu flexione, pergunt ad scamnum, [3] deponunt manipulum, et Celebrans, deposita etiam casula, assumit pluviale.

Si Missa celebrata fuerit in colore rubro, vel violaceo, cujus coloris erit pluviale assumendum? — Respondeo: Ex analogia ad alias functiones Missæ adnexas, videtur assumendum esse pluviale coloris respondentis Missæ et paramentis Ministrorum: imo id fieri *posse* constat ex responso S. R. C. [4] quod autem *debeat*, id nullibi S. C. expresse præcepit, sed docent Martinucci, Fumagalli, et alii ex Instructione Clementina. Quidquid sit de pluviali, velum humerale debet esse coloris albi; item pallium Altaris et, consequenter, conopœum [5].

Prope scamnum Celebrans imponit more solito thus duobus thuribulis; dein ad medium Altaris procedens, facta in plano duplici genuflexione, SS. Sacramentum uno thuribulo triplici ductu incensat,

1) S. R. C. 29 Martii 1851, n. 2990, ad II: aliud agendum est in Festo Corporis Christi ex *Rituali Romano. De Process. Tit. IX. Cap. 5.* Ratio discriminis ex eo est, quod in Festo Corporis Christi objectum principale sacræ functionis est Processio; dum e contra in adoratione XL Horarum est Expositio, quæ incipit statim ac Diaconus sacram Eucharistiam in Ostensorio reponit Cf. **Martinucci** ad *Manuale Ecclesiast.* nota ad n. 1046, et *Comment. ad Instruct. Clement. § XIX. n. 6 in Coll. Auth. Decret. S. R. C. Vol. IV.*

2) Cf. **Fumagalli** *Manuale P. IV. Cap. I.* et **Al. a Carpo** *Cærem. P. II. n. 233.*

3) S. R. C. 24 Nov. 1899, n. 4048, ad V.

4) S. R. C. 9 Julii 1678, n. 1615, ad VI.

5) Cf. *Instr. Clement. § XVIII.* et *Comment. § XVIII. n. 7.*

genuflexus super infimum gradum, facta antea et postea profunda inclinatione. Post hæc, accepto velo humerali, ad supremum gradum ascendit, ibique cum Subdiacono genuflexus manet; Diaconus ad suppedaneum progressus, facta paulisper in cornu Epistolæ simplici [1] genuflexione, Ostensorium utraque manu capit, et stans tradit illud Celebranti, qui genuflexus manibus velo humerali contectis apprehendit, ita ut pars Ostensorii posterior suam faciem respiciat. Tum surgit, et ascendens suppedaneum ad populum se convertit, dum Diaconus, facta genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus ad sinistram; ambo fimbrias pluvialis sustinentes.

113. Interim ordinatur et inchoatur Processio aut per Ecclesiam, aut in publica via per breve spatium peragenda [2]. Quæ in Processione requiruntur omnino hæc sunt: post confratres SS. Sacramenti, qui cum intorticiis aut saltem candelis accensis procedent, habeatur Crux cleri delata a Clerico, vel Subdiacono diverso ab eo qui Missæ ministravit, inter duos ceroferarios candelabra ferentes cum candelis accensis; Crucem sequantur Clerici et Sacerdotes capite detecto et candelas gerentes, dein duo thuriferarii facie quasi ad invicem conversa leniter thuribula agitantes, ita ut SS. Sacramentum adoleant [3]; postremo Celebrans sub baldacchino gestans SS. Sacramentum inter Ministros

1) Cf. tamen quæ notata sunt sub n. 103.

2) Hujusmodi Processionem per viam esse permissam declaravit S. C. R. 12 Junii 1638, n. 640.

3) Norma pro cereis aut intorticiis gestandis, quum bini ceroferarii sunt, hæc est; ut manus exterior cereum teneat, interior pectori admoveatur; e contra thuribulum manu interiori teneatur et agitetur, dum exterior manubrium tenet.

fimbrias hinc inde sustinentes. Cantetur Hymnus *Pange lingua;* at strophes *Tantum ergo* nonnisi post expositum in throno SS. Sacramentum incipiatur.

114. Ubi ad Altare Processio redierit, crucifer ad latus Epistolæ Crucem deponit, ceroferarii candelabra deponunt super abacum, Clerici et Sacerdotes, hinc inde in presbyterio in duas alas dispositi, adveniente Celebrante genuflectunt. Celebrans ascendit gradum supremum, ac stans Ostensorium tradit Diacono in suppedaneo paulisper in cornu Epistolæ genuflexo; mox genuflectit ipse Celebrans, dum Diaconus surgens defert illud in thronum suum, vel ponit super Altare, ut inde alius Sacerdos vel Diaconus superpelliceo et stola indutus illud ad thronum deferat. Interim Celebrans cum Subdiacono descendit in planum, et, deposito velo humerali, genuflexus manet in infimo gradu, quousque et SS. Sacramentum in throno collocatum fuerit, et Diaconus ad ejus dexteram redierit.

Putamus hanc SS. Sacramenti delationem ad thronum fieri posse ab exponente cum velo humerali et sub umbella ac duobus Clericis aut confratribus intorticia gestantibus, saltem si Altaris structura talis est ut Sacerdos exponens debeat egredi e presbyterio, et in chorum a presbyterio separatum intrare, et inde ad thronum Expositionis ascendere.

115. Præstat Decreta referre S. C. quibus abusus quidam reprobati sunt. Proposito dubio: « Utrum admitti possit usus cujusdam machinæ, cujus ope elevaretur ac deponeretur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur? » — Emi ac Revmi Patres, re accurate perpensa, responderunt: « Negative » [1].

1) S. R. C. 7 Julii 1877, n. 3425. Cf. resp. 23 Apr. 1875, n. 3349.

« Utrum liceat lumen aliquod collocare a parte postica sphæræ, ut recta illuceat in ipsam sacratissimam Hostiam, quæ exinde lucida appareat? » — S. C. respondit: « Negative » [1].

« An in casu deficientiæ redituum, in Expositione SS. Sacramenti, lumina ex oleo, saltem ex parte, substitui possint luminibus cereis? » — Respondit: « Negative » [2]. Verum, pro Ecclesiis in quibus habeatur Adoratio perpetua, a S. Sede aliquando datur Indultum.

« An quum in Altari majori ponatur machina luminibus ornata usque ad laqueare Ecclesiæ, et in machina baldacchinum pro exponendo SS. Sacramento apponatur, adhiberi valeant candelæ confectæ ex cera stearica, vel ex alia materia purificata similitudinem ceræ præferente, exceptis tamen illis, quæ sunt in gradu Altaris et immediate ante baldacchinum, in quo est expositum SS. Sacramentum? » — Respondit: « Dentur Decreta in *Massil.* 16 Sept. 1843 (*Consulantur Rubricæ*) et in *Divion.* 7 Sept. 1850 (*Nihil innovetur*) » [3].

Recentes auctores Martinucci et Fumagalli cum Card. Morozzo Episcopo Novariensi improbant usum vulgo receptum disponendi in Altari magnum cereorum numerum, quorum minor pars jugiter ardeat, dum major accendenda reservatur horis quibusdam determinatis, et in primis functioni repositionis. Nulla tamen exsistit hujus usus im-

1) S. R. C. 3 Aprilis 1821, n. 2613, ad V. Cf. *Comment. ad Instr. Clem. § VI. n. 5.*

2) S. R. C. 27 Junii 1868, n. 3173.

3) S. R. C. 4 Septembris 1875, n. 3376, ad III. Cf. *Manuale Decret. S. R. C.* in nota ad n. 975. Responsum anni 1875 habetur tamquam *prohibitivum* a D. **Adelelmo Foppiano** *Enchiridion pro sacerdotibus. P. III. Tit. X. Decr. n. 10.*

probatio a S. R. Congregatione; ipsa Instructio Clementina exigit pro Ecclesiis Urbis, ut viginti candelæ jugiter ardeant; pro ceteris determinatio cereorum, qui semper ardere debeant, relinquitur Ordinariis, quorum præscriptione communiter non pauciores esse debent quam sexdecim, non plures præcipiuntur quam viginti [1].

116. Quum SS. Sacramentum in throno expositum sit, cantores prosequuntur duas strophes postremas *Tantum ergo* et *Genitori;* Celebrans vero ad versum *Præstet fides* surgit et, facie ad cornu Epistolæ conversa, in unum thuribulum thus absque benedictione (et osculis) immittit, Ministris pro more adsistentibus: dein, dum postrema strophes cantatur, SS. Sacramentum ter adolet: mox utrumque thuribulum in sacristiam defertur. Hymno expleto, cantores genuflexi, vel in eorum defectu Celebrans et Ministri ceterique Clerici adstantes, quin dicatur versiculus *Panem de cœlo,* canunt Litanias Sanctorum cum suis precibus et Psalmo et orationibus, prout habentur in Appendice Ritualis Romani: orationes dicuntur a Celebrante stando [2].

Hisce omnibus expletis, omnes brevi tempore vacant orationi; dein, innuente cæremoniario, surgunt, et peracta in plano utriusque genu flexione cum profunda capitis inclinatione, in sacristiam revertuntur. Postquam e presbyterio egressi sint, aut e conspectu SS. Sacramenti recesserint, caput operiunt.

117. **De iis quæ servanda sunt tempore Expositionis.** — Ex his quædam respiciunt Al-

1) Cf. *Comment. ad Instr. Clem. § VI. n. 1.*

2) Exstant in Appendice. Adverte eas alias esse ab iis, quæ habentur in Rituali et in Breviario.

tare Expositionis, quædam vero functiones quæ generatim in Ecclesia peraguntur.

Altare Expositionis, præterquam pallio et conopeo albi coloris, ornatum esse debet pretiosis velis, cereis, floribus et tapete. In hoc Altari SS. Missæ Sacrificium celebrari nequit, si Missa repositionis excipiatur; ut patet non modo ex Instructione Clementina, sed etiam ex pluribus S. R. C. Decretis [1]; eadem de causa amovendæ sunt ab Altari tres tabellæ, quas ad Celebrantis commoditatem exigunt Rubricæ [2]. Dari tamen casus in quibus liceat ad Altare Expositionis celebrare admitturt communiter auctores: *a*) si in Ecclesia non adsint alia Altaria; *b*) si necesse sit consecrare Particulas pro Communione fidelium; *c*) P. Barth. a Clantio addit etiam casum, in quo secus populus ab adoratione SS. Sacramenti averteretur [3]. Addunt quidam *d*) et immemorabilem consuetudinem, quæ absque populi mœrore tolli non posset, innixi responsioni S. C. 27 Septembris 1864, n. 3124, ad II, quæ consuetudinem haud dissimilem tolerari posse rescripsit.

Quæres, num tempore Missæ collocanda sit super Altare Crux cum imagine Crucifixi? — Resp. S. R. C. censuit quemlibet « reliquendum esse in sua praxi ». Cujus Decreti sensum satis aperit Benedictus XIV. hisce verbis: « Ut quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem [4].

1) S. R. C. 13 Junii 1671, n. 1421, ad V. et 11 Maji 1878, n. 3448, ad I.

2) S. R. C. 20 Dicembris 1864, n. 3130, ad III.

3) *Man. Eccles. n. 1030.* Hoc inconveniens amoveatur, quoad fieri potest, celebrando ad Altare proximum Altari Expositionis.

4) S. R. C. 2 Sept. 1714, n. 2365, ad I. **Bened. XIV.** apud citatum *Man. Eccl. n. 1026.* Cf. *Sacra Liturgia Quæst. 178.* Forte hæc norma teneri poterit: Si talis sit Altaris structura,

118. In prohibitione celebrandi Missam continetur quoque prohibitio distribuendi ex Altari Expositionis SS. Eucharistiam fidelibus; quinimo ne consuetudinem quidem hac in re S. C. admittit [1].

119. Quæres: Quid speciatim servandum, si sacra Synaxis ex hoc Altari distribuatur? Respondeo: *a*) quum Sacerdos, stola coloris officio diei convenientis indutus, presbyterium ingreditur, vel quum in conspectum venit SS. Sacramenti, caput detegit; *b*) in plano ante medium Altaris utrumque flectit genu cum profunda capitis inclinatione; *c*) populo in fine benedicturus, post voces *Benedictio Dei omnipotentis*, facta simplici genuflexione, se vertit paulisper ad cornu Evangelii divertens, et hoc modo ad populum conversus more consueto benedicit; *d*) ex eodem cornu Evangelii descendens repetit in plano utriusque genu flexionem, ac descendens non ante caput operit, quam e presbyterio egressus sit, aut e conspectu SS. Sacramenti recesserit. Reliqua peragit more consueto.

120. In eodem Altari prohibentur *omnino* Missæ de *Requiem*, etiam cum paramentis violaceis [2]: maxime decet Clericos vel Sacerdotes cum superpelliceo coram SS. Sacramento jugiter orare [3]: laici, quamvis confratres sint societatis SS. Sacramenti et propriis vestibus induti, non permit-

ut Celebrans SS. Sacramentum adspicere queat, Crux omittatur; secus vero apponatur. Ritum hujus Missæ omittimus, quippe qui in pluribus operibus invenitur.

1) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad I; 18 Maji 1878, n. 3449, ad III; 8 Febr. 1879, n. 3482; 23 Nov. 1880, n. 3525, ad IV.

2) S. R. C. 14 Junii 1873, n. 3302, ad II.

3) Sacerdotes assumere possunt et stolam albi coloris, ut ex usu Urbis Romæ probatur in *Comm. ad Instruct. Clem. § IX. num. 4-11* Cf. et S. R. C. 17 Aug. 1833, n. 2709, ad II.

tantur ingredi Presbyterium, sive ad orandum, sive ad Altaris curam habendam; ita ex *Instructione Clementina.*

121. Functiones in Ecclesia Expositionis fere nullæ peragendæ sunt, præter Missas in Altaribus minoribus celebrandas [1]

In primis, juxta Instructionem Clementinam, altero post Expositionem die, qui vulgo *medius* dicitur, cantanda est Missa votiva *Pro Pace* in Altari laterali, non tamen in eo in quo SS. Sacramentum asservatur Tabernaculo inclusum; adhibeantur paramenta coloris violacei, omittantur *Gloria* et *Credo,* orationi adjiciatur collecta de SS. Sacramento sub unica conclusione, Præfatio communis dicatur, nisi habeatur propria *de tempore* aut *de octava occurrente*, in fine *Benedicamus Domino* et consuetum Evangelium S. Joannis; in Dominicis addatur *Credo.* Diebus vero quibus hujusmodi Missa prohibetur, orationi Missæ de die, vel de Festo addatur collecta *Pro Pace* sub unica conclusione [2].

Reliquæ Missæ tempore Expositionis erunt de Festo, vel de die, in quibus, post orationes præscriptas a Rubrica, addi potest commemoratio SS. Sacramenti [3]; exceptis duplicibus primæ et secundæ classis, in quibus ea est omittenda [4].

Si publica adoratio horis nocturnis intermittitur, commemoratio facienda est tantum in Missis, quæ

1) Aspersio aquæ lustralis in Dominicis non debet omitti, at si fiat in Altari Expositionis, omittitur Altaris ejusdem aspersio. S. R. C. 18 Julii 1885, n. 3639, ad II.

2) Alibi advertimus Instructionem Clementinam extra Urbem non obligare.

3) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, ad V.

4) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1743, ad IV.

celebrantur facta Expositione [1]. Interrogata S. C. « An ista commemoratio sit omnino omittenda in Festis D. N. J. Christi, v. gr. in Missis de Mysteriis Passionis, per octavam Paschatis, Ascensionis in Festo Transfigurationis etc. ? » Respondit : « Commemorationem fieri posse juxta alia Decreta, dummodo Missa non versetur in eodem Mysterio [2] ». Hinc certo omittenda est in Festis S. Cordis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, et SS. Redemptoris [3]; item, ut videtur, in Festis Passionis D. N. J. Ch. infra Quadragesimam occurrentibus [4]; idem putant nonnulli de Festo Nativitatis Dominicæ [5]. Si Feria VI. recitatum sit Officium votivum de Passione, in Missa votiva SS. Sacramenti commemoratio Passionis omittatur.

122. Si occurrant dies, quibus per Rubricas permittuntur Missæ votivæ privatæ, conveniens est ut Missæ celebrentur de SS. Sacramento ; adhibeantur paramenta albi coloris, *Gloria* et *Credo* omittantur ; oratio secunda dicatur de officio occurrente, tertia quæ secundo loco dicenda foret ; Præfatio *de Nativitate,* in fine *Benedicamus Domino* et Evangelium S. Joannis. Verum, si qua Feria V. recitatum sit officium votivum SS. Sacramenti, Missa dicatur non ritu votivo, sed consueto ; nempe cum *Gloria*, sine *Credo*, cum Ite *Missa est,* et Evangelio Feriæ vel vigiliæ, si forte occurrat.

Quæres, utrum dicendæ sint collectæ imperatæ

1) S. R. C. 27 Aug. 1836, n. 2745, ad VI.
2) S. R. C. 7 Julii 1877, n. 3426, ad I.
3) S. R. C. 6 Sept. 1834, n. 2717, 18 Julii 1884, n. 3613, ad I, 29 Dec. 1884, n. 3624, ad IX.
4) Ex resp. S. R. C. 18 Julii 1884, n. 3612, ad II.
5) *Ephem. liturg.* 1888 pag. 283. Cf. *Il Mon. Eccl. Scr. I. Vol. VII. P. I.* pag. 70.

ab Ordinario? — Respondeo: Res pendet a terminis Decreti: si in eo excepti sint dies, quibus habeantur solemnitates in Ecclesiis particularibus, omittendæ erunt, quia Expositio hæc est vera solemnitas [1]. Non sunt omittendæ preces in fine Missæ ex Decreto Leonis XIII. recitandæ.

123. Missæ de *Requiem,* prohibentur tempore et horis tantum Expositionis, excepta die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, qua quidem, si in eam incidit Expositio XL Horarum, Missæ de *Requiem* sive privatæ, sive solemnis, celebrandæ sunt cum paramentis violaceis, at nunquam ad Altare Expositionis [2]. Ex eo autem quod S. C. dixit Missas de *Requiem* durante Expositione, prohiberi *regulariter* [3], et ab eis celebrandis ex voluntate testatorum, *congruentius abstineri* [4], sunt qui deducunt, prohibitionem non esse absolutam [5]. Sed contrarium evincit, quod posterius eadem S. C. declaravit. Ad quæsitum enim. « Utrum... durante Expositione SS.mi in Pyxide, permittente Rubrica, possint in Ecclesia vel aliis Cappellis, celebrari Missæ de Requiem? » Respondit: « Missæ de Requiem extra Altare, ubi est expositum SS. Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram SS. Sacramento non sit ex publica causa » [6];

1) Quinimo alicubi viget consuetudo collectas omittendi etiam horis matutinis, quæ Expositionem præcedunt, quod tamen non videtur extendendum ad easdem horas primæ diei.
2) S. R. C. 27 Jun. 1868, n. 3177 et 9 Julii 1895, n. 3864.
3) S. R. C. 2 Dec. 1684, n. 1743, ad V,
4) S. R. C. 27 Aprilis 1697, n. 1967.
5) **Cavalerius** *t. IV. c. 7 decr. 43.*
6) S. R. C. 7 Maji 1746, n. 2390, ad IV. Cf. S. R. C. 27 Martii 1779, n. 2513, 16 Junii 1900, ap. *II Monit. Eccl. Ser. II. Vol. II.* pag. 299, et *Comment. ad Instruct. Clement. § XVII.*

quæ postrema exceptio, tanto magis obtinet in solemnissima Expositione XL Horarum.

Quid ergo agendum, si tempore hujus Expositionis SS. Sacramenti pro oratione XL Horarum contingat Exsequias esse faciendas super cadaver, quod servari nequeat inhumatum usque dum prædicta oratio perficiatur?

Respondeo: Si Exsequiæ celebrari queant in alia Ecclesia, vel etiam in Ecclesia Expositionis, sed aut mane aut vespere extra horas Expositionis, omnia peragi possunt more consueto; secus vero celebrari poterunt solemniter et in cantu per viam, at in ipsa Ecclesia terminentur submississima voce [1]. Verum quoad Missam, S. R. C. re mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Juxta Instructionem Clementinam iis diebus abstinendum esse a celebrandis Missis defunctorum, sive solemnibus, sive lectis; ac Missa solemnis pro defuncto cani posse die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario a die obitus vel depositionis defuncti » [2].

124. Si tempore Expositionis sermo sit habendus, orator, pietate et brevitate sibi proposita, capite prorsus detecto, quamvis SS. Sacramentum sit velo obductum, concionabitur [3], et non longe ab Altari, ne populus SS. Sacramento terga vertat. Item « conveniens est, ut omnes præsentes starent capite semper detecto et numquam sederent; quod si ob longitudinem officii (vel concionis) id præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ detecto capite adsistere » [4].

1) **Cavalerius** *Decr. S. R. C. III. De Exseq. adult. ord.* 127.
2) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 3357.
3) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, ad II.
4) *Cærem. Epp. Lib. II. Cap. 23*, et S. R. C. 10 Sept. 1796, n. 2552, ad I. Cf. etiam S. R. C. 22 Martii 1862, n. 3113, ad III.

Quoad usum velo tegendi SS. Sacramentum, durante concione, nihil dicimus, quia nulla extat decisio; id tamen est certum, quod SS. Sacramentum, quamvis velatum, est habendum tamquam expositum sive relate ad numerum cereorum ardentium, sive relate ad genuflexiones faciendas [1]. Hinc minime probare possumus morem, quo summo mane collocatur SS. Sacramentum in throno et inde velo tegitur, quousque, hora adveniente Expositionis, velum removeatur, interim non accensis candelis, neque aliis ritibus adorationis servatis.

125. Durante Expositione, non licet agitare campanulam decursu Missarum, quæ leguntur sive in eodem, sive in alio Altari [2], et piæ pecuniæ collectiones sunt faciendæ prope Ecclesiæ januam et absque rumore [3]; minister autem, qui Missæ, justa de causa, lectæ in Altari Expositionis, inservit, quem quidem oportet habere veste talari et cotta indutum, debet, in accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu fletere, dum transit coram SS. Sacramentum [4].

126. **De ritu reponendi.** — Juxta Instructionem Clementinam, repositioni SS. Sacramenti præmittenda est celebratio Missæ Expositionis, de qua diximus n. 111; ritum vero ejusdem omittendum censemus, quum satis frequenter ac dilucide penes auctores liturgicos inveniatur.

Post ultimum Evangelium, Celebrans, facta in medio suppedaneo simul cum Ministris simplici

1) S. R. C. 22 Dec. 1753, n. 2427, ad X. Cf. etiam dicta n. 101.
2) S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad II.
3) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, ad X. Indulgentiæ pro visitatione SS. Sacramenti concessæ habentur in opere: *Raccolta di orazioni* etc. *c. VI. n. 4.*
4) S. R. C. 7 Julii 1877, n. 3426, ad VI.

genuflexione, per breviorem viam ad scamnum descendit, ubi, deposito manipulo et casula, pluviale assumit; Ministri manipulos dumtaxat deponunt. Tum ad medium Altaris redeuntes, facta ibidem duplici genuflexione in plano, in infimo gradu genuflexi manebunt, dum canuntur, ut in Expositione, Litaniæ usque ad versiculum *Domine exaudi orationem meam* inclusive. Post hæc Celebrans, injecto duobus thuribulis incenso, more solito SS. Sacramentum thurificat, et velum humerale assumit; Diaconus (vel Sacerdos adsistens) Sacramentum e throno demittit super corporale, illudque a Diacono Celebrans accipit eodem ritu ac in Expositione; ac ita Processio per Ecclesiam, aut extra illam quoque instituitur.

127. Post reditum, quum Diaconus acceptum a Celebrante SS. Sacramentum super corporale collocaverit, canuntur duæ postremæ strophes Hymni *Pange lingua,* ad ultimam Celebrans SS. Sacramentum incensat; post versiculum *Panem de cœlo* (cui, tempore paschali et per octavam Corporis Christi, additur *Alleluja*), nulla facta genuflexione, aut capitis inclinatione, cantat orationem *Deus qui nobis* una simul cum ceteris, ac iterum genuflexus alios versiculos subdit, eodem modo ac in Expositione. Ascendens dein gradus Altaris, populo cum SS. Sacramento benedicit eo ritu, quem exposuimus n. 7; item cetera omnia, eodem modo ac ibidem vidimus, absolvuntur.

128. Quod si hæc repositio horis vespertinis fiat, Celebrans in sacristia super albam assumit album pluviale, et ad Altare procedens, omnia, præter Missam, eodem modo prosequitur. Si nec Processio habeatur, unicum assumatur thuribulum, Litaniæ eodem ritu ad Altare cantentur, iisdemque, post

versiculum *Domine exaudi orationem meam,* Hymnus *Pange lingua* subjiciatur. Quod ne Litaniæ quidem recitentur, nemo ex auctoribus supponit.

Quæres: Num servari possit consuetudo alicubi exsistens omittendi, præter Missam, tum Litanias, tum Hymnum *Pange lingua,* et canendi tantummodo ultimas duas strophes ejusdem?

Respondeo: *a*) certum est per hoc non vitiari essentiam Expositionis pro oratione XL Horarum; item *b*) certum est Instructionem Clementinam extra Urbem non obligare, ac plurimum hac in re ab auctoribus deferri tum statutis Ordinariorum, tum consuetudinibus particularibus. Hinc, quousque S. Rituum Congregatio aliquid decreverit, licebit eam consuetudinem servare, dummodo non omittatur hymnus *Tantum ergo* usque ad finem, cum versiculis et oratione *Deus qui nobis* [1].

1) S. R. C. 15 Apr. 1880, n. 3513.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ

CAPUT I.

Prænotiones de materia nobis tractanda.

129. Infinita Dei erga homines misericordia, quæ humano generi lapso in Adamo per passionem et mortem unigeniti Filii sui remedium attulit Baptismi, eadem et hominibus in peccati servitutem ac dæmonis potestatem per suam voluntatem relapsis per eadem Jesu Christi merita remedium attulit Pœnitentiæ. « Hic enim justificationis modus est lapsis reparatio, quam secundam post naufragium deperditæ gratiæ tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt » [1]. Hoc remedium in ea Pœnitentia consistit, quam de fide est verum esse novæ Legis Sacramentum, et omnibus post Baptismum lapsis ita ad salutem necessariam, ut nondum regeneratis Baptismus.

Circa administrationem hujus Sacramenti, alia sunt, et quidem plurima, quæ ejus intrinsecam rationem respiciunt, partes nempe hujus Sacramenti necessarias, et officia ministri, et dispositiones subjecti: de his omnibus, quamvis et ea Rituale Romanum attingat, nihil nobis dicendum esse ducimus; quum ea ad dogmaticam, maxime vero ad moralem Theologiam pertineant. Alia sunt quæ spectant ad

1) Concilium Tridentinum Sess. VI. Cap. XIV.

externam ejusdem rationem, seu proprie ad ritum hujus Sacramenti ministrandi : de his dumtaxat agemus.

CAPUT II.

De loco, in quo Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est.

130. Præmittimus statutum Ritualis Romani : « In Ecclesia, non autem in privatis ædibus, confessiones audiat (Sacerdos), nisi ex causa rationabili, quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare » [1].

In Ecclesia, quæ a S. Bonaventura *refugium peccatorum* et *confugium pœnitentium* vocatur [2], conferendum est Sacramentum Pœnitentiæ, adeo ut extra eam, sine causa rationabili, conferre peccato non vacet. Præter allatam paragraphum Ritualis, id constat ex Bulla Benedicti XIV. *Magno cum animi nostri dolore* data die 2 Junii 1751, in qua sub n. XX. nominatim declarat nec in domibus privatis, nec in privatis Oratoriis licere Sacramentum Pœnitentiæ administrare extra casus a jure permissos [3].

Nomine Ecclesiæ heic veniunt quoque publica Oratoria [4]; consequenter etiam sacella quæ erecta sint in Domibus religiosis, in ædibus episcopalibus, in Seminariis, quippe quæ Oratoriis publicis æqui-

1) *Rit. Rom. Tit. III. Cap. I. n. 7.*

2) **S. Bonav.** *Serm. XV. Cf. Serm. IV. De Dedic. Ecclesiæ.*

3) Tale nempe privilegium habere solent Cardinales, Nuntii, Reges, et Principes, eorumque Oratores.

4) At in his exedras pœnitentiales retinere non licet, nisi de licentia Episcopi. S. C. C. 27 Junii 1744.

parantur. Item lato sensu accipiendum est nomen Ecclesiæ, adeo ut, juxta præsentem pro audiendis virorum confessionibus disciplinam, comprehendantur sacella Ecclesiæ adnexa, et sacristiæ, et parva cubicula prope eam ad hunc finem exstructa [1].

131. Attamen, ex rationabili causa, licebit in ædibus quoque privatis confessiones excipere. Porro talis est in primis physica infirmitas, quæ impediat pœnitentem ad Ecclesiam accedere, aut nonnisi cum incommodo notabili eam adire permittat; item causa sufficiens esse poterit verecundia, luctus, timor ab inimico, ratio scandali vitandi, etc.: breviter, quum ex Rituali causa rationabilis sufficiat, nemo debet exigere gravem.

Præter causam non adeundi Ecclesiam, adesse debet et necessitas confitendi. Quanta hæc erit?

Profecto *a*) hæc habetur in periculo mortis etiam tantum late probabili; item *b*) quoties impeditus ab adeunda Ecclesia versetur in peccato mortali; *c*) quoties, licet immunis a mortali, tamen rationabiliter juxta propriam conditionem petere potest Eucharistiam; *d*) quoties, accepta a Confessario commutatione Communionis in aliud opus pium [2], lucrari velit aliquam indulgentiam plenariam; *e*) tandem quotiescumque pœnitens ad suæ conscientiæ tranquillitatem, vel ad majorem copiam divinæ misericordiæ consequendam, confiteri rationabiliter cupit, nulla ratio est qua Confessarius scrupulose procedat, maxime si de viro agatur. Extra casus istos, Rubrica videtur esse præceptiva.

1) Pro feminis surdastris Parochus provideat, ut in loco separato sedes aliqua pœnitentialis cum sua crate paretur, ut hoc modo et modestiæ, et sigillo sacramentali consulatur.

2) Juxta facultatem a Pio IX. concessam die 18 Sept. 1862.

Quando causa rationabilis suadeat confessionem in ædibus privatis excipiendam esse, id peragendum est januis apertis, adeo ut et Confessarius et pœnitens foris possint videri, quin possint audiri; quod maxime curandum est in confessione mulierum. Verum si pœnitens, sive vir, sive mulier, surditate laboret, consulendum in primis est integritati sigilli sacramentalis, quod lege naturali et divina positiva impositum est. In utroque casu Confessarius ita se graviter componat, ut oculos a facie pœnitentis aversos teneat; tum, ut ei majorem ingerat confitendi libertatem, tum ut, in confessione præsertim mulierum, suæ consulat honestati.

132. Prosequitur Rituale: « Habeat (Sacerdos) in Ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat; quæ sedes patenti, conspicuo et apto Ecclesiæ loco posita, crate perforata inter pœnitentem et Sacerdotem sit instructa ».

Quamvis hæc indiscriminatim a Rituali præscribantur, tamen consuetudo satis communis obtinuit, ut hæc ad eas sedes restringerentur, in quibus confessiones mulierum sunt excipiendæ; dum, Ordinariis probantibus, sedes pro audiendis virorum confessionibus exstrui solent in loco Ecclesiæ contiguo, neque crate interposita. Quoad istas, duo in primis procuranda sunt; ut nempe, et conspicuo Crucifixo decorentur, et tabula casuum reservatorum prope illas affigatur. Verum neque Ritualis, neque prudentiæ regulis congruere videtur praxis collocandi hujusmodi sedes in loculis adeo semotis, ut Confessarius et pœnitens omnino sui juris evadant.

133. Quoad sedes pro confessionibus mulierum, hæc sunt speciatim advertenda: *a*) foramina cratis adeo minutissima sint, ut nullatenus pœnitens a Confessario, et hic ab illa videri possit; opportune

vero ex regulis S. Caroli Borromæi in quibusdam Diœcesibus decernitur, ut, præter cratem ferream, ex parte Confessarii pannus quoque extendatur; *b*) quum generatim hæ sedes nunc duplices esse soleant, adeo ut Confessarius ab utroque latere pœnitentes excipiat, curandum, ut utraque fenestella ex parte Confessarii habeat etiam tabulam ferreis pollicibus innixam, ut claudi et aperiri possit; ne, dum Confessarius ab uno latere pœnitentem excipit, altera hujus verba possit audire; *c*) habeatur et in his, ex parte pœnitentis, imago Crucifixi crati superposita; ex parte Confessarii, tabula reservatorum cum aliqua pia Imagine in ipsa tabula fenestellæ affixa; *d*) velamina, quæ alicubi ante Confessarium extendi solent, adeo ut ipse oculis adstantium subtrahatur, licet non sint contra literam Ritualis, tamen contra spiritum ipsius esse videntur.

Ad modestiam Sacerdotis, ejusque bonam famam tutandam, omnino servari debent statuta fere ubique ab Episcopis lata, ut nec ante auroram, nec post dimidiam horam post occasum solis, nec quacumque hora diei januis Ecclesiæ clausis, confessiones mulierum excipiantur. Si quando necessitas cogat ante vel post lucem diei harum confessiones excipere, lumen prope sedem confessionalem omnino apponatur.

CAPUT III.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

134. Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos qui jurisdictione fori interni aut ordinaria aut delegata præditus sit; verum ut qui habet delegatam, eam legitime in Ecclesia Parocho subjecta exerceat, licentia quoque Parochi saltem præsumpta

requiritur. Non censemus hisce immorandum esse ulterius.

Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ administrans debet in primis esse in statu gratiæ; adeo ut si reus mortalis peccati quempiam audire et absolvere audeat, grave committat sacrilegium; non tamen tenetur se per confessionem justificare, nisi de sua contritione ipse dubitet. Utrum a reatu sacrilegii excusetur, si propter urgentem necessitatem non justificatus Sacramentum ministret, ac utrum unum vel plura committat peccata, si plures pœnitentes absolvat, discutiendum relinquimus Theologis.

135. Præter vestem talarem, vestes sacræ præscribuntur in Rituali n. 9: « superpelliceo et stola violacei coloris utetur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo ».

Quæres: An hæc Rubrica sit præceptiva? — Respondeo: Certe nullum est peccatum sine alterutra, vel sine utraque confessiones excipere, non modo in necessitate etiam lato sensu accepta, quæ heic per vocem *tempus* indicari videtur; sed etiam quoties « occasio, vel consuetudo, vel locus aliter suadeat » [1]. *a*) *Occasio* posset esse, quum, ex gr. tempore Missionum, contingat plures esse Confessarios, quam stolæ habeantur. *b*) *Consuetudo* est, ut Regulares mendicantes, omisso superpelliceo, cum stola tantummodo confessiones excipiant [2]; item vera consuetudo esse videtur, ut et Sacerdotes sæculares superpelliceum omittant, quum ita passim fiat videntibus et probantibus Ordinariis. Circa stolam duplex exstat responsio S. C. relate ad consuetu-

1) *Rituale Romanum Tit. I. Cap. unic. n. 7.*
2) Cf. **Catalanus** *In Rit. Rom.* h. l. et **De Herdt** *S. Lit. Pr. P. VI. n. 171.*

dinem. Quum in Cathedrali Patavina vi consuetudinis *interdicerentur* Confessarii stolam assumere, S. C. respondit: « Standum omnino Rituali et aliis Decretis » [1]. Interrogata vero: « Utrum consuetudo ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ absque stola, etiam in Ecclesia et sede confessionali servari possit? » Respondit: « Conveniens est, ut in Ecclesia adhibeatur stola juxta S. R. C. Decreta » [2]. — *c*) *Locus,* in quo liceat omnino confessiones sine ulla veste sacra excipere, videtur esse quilibet alius præter Ecclesiam, ut jam indicatur in ipsis S. C. responsis: at pro confessionibus virorum sacristia et adnexa cubicula nomine Ecclesiæ comprehenduntur.

Verum, exceptis casibus hisce tribus *occasionis consuetudinis* et *loci*, Rubrica estne præceptiva?

Respondeo: Auctores Theologiæ Moralis dubitant, num omissio stolæ in hoc Sacramento sit *peccatum mortale*; quare veniale saltem esse consentiunt [3]. Utcumque res se habeat, dicunt posse Episcopos etiam pro Pœnitentiæ Sacramento usum stolæ et superpellicei præscribere [4]; attendantur ergo quammaxime statuta particularium Ecclesiarum.

136. Quod Sacerdos non stando, sed sedendo confessiones excipiat, id non ad majorem comoditatem statutum est, sed ad Sacerdotis dignitatem, et simul hujus Sacramenti judiciariam naturam significandam; eadem de causa, dum Sacerdos cetera Sacramenta ministrat capite detecto, istud tecto

1) S. R. C. 7 Decembris 1844, n. 2883, ad II.
2) S. R. C. 31 Augusti 1867, n. 3158, ad II.
3) Cf. Em. **D'Annibale**. *Summula III. 265 not. 2.* (Edit. III.)
4) Apud **Lehmkuhl** *Theol. Mor. Vol. II. n. 31.*

capite convenientius ministrabit, quæcumque sit conditio personæ confitentis. Pœnitens e contra, excepta rationabili causa infirmitatis, genuflexus ac detecto capite, armisque, si gerat, depositis, coram Confessario se sistet, ut externa corporis compositione, habitusque modestia se reum coram suo judice profiteatur.

CAPUT IV.

De ritu hujus Sacramenti ministrandi.

137. Quum pœnitens coram Confessario genuflectit, laudabiliter hic eidem benedicit in ea verba: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis peccata tua in nomine Patris ✝ et Filii et Spiritus sancti*; hic vero confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat, scilicet *Confiteor* etc., vel saltem breviori forma: *Confiteor Deo omnipotenti et tibi Pater*. Rit. Rom. Cap. I. n. 14.

De materia, sive remota, sive proxima, hujus Sacramenti nihil nobis dicendum.

Forma habetur in Rituali Romano, ex quo omnes Confessarii eam integram memoriæ mandare tenentur. In ea quædam ad absolutionem pertinent, quædam ad ritum. Ad absolutionem pertinent ea: *Ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et interdicti in quantum possum et ut indiges. Deinde ego te absolvo a peccati tuis in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.*

Preces antecedentes et subsequentes constituunt ritum; item ad ritum pertinent tum elevatio manus ad verba *Indulgentiam* etc., tum signum

Crucis in proferendis verbis absolutionis. — De singulis ex ordine.

138. Absolutio duplex est, alia a censuris, alia a peccatis. Quamvis Sacramentum Pœnitentiæ in altera tantum consistat, imo etiam sine priore Sacramentum valeat, etsi pœnitens (in bona fide) censuris ligetur, tamen communiter utraque danda est, et eo ordine, quo utraque in Rituali proponitur. Si constet Confessario pœnitentem censuris irretiri, tenetur sub gravi eumdem a censuris prius absolvere, quippe quæ Sacramentum illicitum reddunt: posset utique ea verba *te absolvo a peccatis tuis* sua intentione ad utramque absolutionem dirigere; verum nec ita agens a veniali excusaretur. Si vero nulla adsit probabilis suspicio quod pœnitens aliquam censuram incurrerit, absolutionem a censuris omittere, nullum est peccatum [1].

Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis*; nomine laici venit persona quælibet primâ tonsurâ non insignita.

139. Quoad absolutionem a peccatis, ea consistit in verbis *Ego te absolvo*; cetera, præsertim invocatio SS. Trinitatis, non sunt de essentia; tamen omittere ea *a peccatis tuis*, mortale censetur; omittere alia *in nomine Patris* etc. saltem veniale.

Quum ad valorem absolutionis requiratur Confessarii et pœnitentis præsentia moralis, interrogata a Pœnitentiaria: « Utrum in casu extremæ necessitatis dari possit absolutio per telephonium? » ensuit « nihil esse respondendum » [2].

140. Ad ritum pertinent preces *Misereatur, Indulgentiam, Dominus noster, Passio Domini nostri*

1) **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. n. 430.*
2) S. Pœnit. 1 Julii 1884.

etc. Quoad has preces habetur Rubrica in Rituali; « In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest *Misereatur* etc., et satis erit dicere *Dominus noster Jesus Christus* etc., ut supra usque ad illud *Passio Domini nostri* etc. » [1]. Imo et subdit: « Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris † et Filii, et Spiritus sancti. Amen* ».

Omnes rituales preces omittere, præter casum confessionum breviorum et frequentiorum, communiter Doctores ne veniale quidem habent. [2]. Tantummodo postremam: *Passio* etc. non facile omittendam esse monent ex doctrina S. Thomæ, quum per eam omnia opera satisfactoria pœnitentis ad efficaciam ac dignitatem satisfactionis sacramentalis eleventur. Vox: *Amen,* non a pœnitente, sed a Confessario dicenda est: id tum Rubrica Ritualis postulat, tum indoles hujus Sacramenti.

Item ad ritum pertinent elevatio dexteræ versus pœnitentem, et signum Crucis. Manus tenenda est elevata tum ad orationem *Indulgentiam* [3], tum ad utriusque absolutionis formam, juxta antiquam Ecclesiæ disciplinam; signum Crucis efformandum est ad ea verba *in nomine Patris* etc.

Quæres, an hæc cadant sub præcepto? — Negandum videtur, saltem quoad elevationem manus [4].

1) Vox *Deinde* pertinet ad verba recitanda, quum in Editionibus typicis charactere nigro habeatur impressa.

2) Apud **S. Alphonsum** *Lib. VI. n. 430.* Cf. *Dell'Autorità del Rituale Rom. n. 28.*

3) Qui heic et signum Crucis inserunt, evidenter errant.

4) Cf. **Uberti** *De re sacramentaria* num. 25.

Cetera quæ habentur in Rituali, consulto omittimus, quum ad materiam nobis propositam non pertineant. Item et ea omittimus, quæ spectant ad absolutionem a censuris in foro externo, et dispensationem ab irregularitate; quippe et rarius contingunt, et dilucide in Rituali proponuntur [1]. At omittendum non ducimus monitum, quod Sacerdoti præbet Rituale Cap. I. n. 6: « Ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus implorabit ». In quem finem perutilis erit oratio *Da mihi Domine*, cui centum dierum indulgentiam Pius IX. adnexuit [2].

1) Notamus, in absolutione danda a censuris, tum in dispensatione concedenda ab irregularitatibus, vel impedimentis, vel votis, quatenus ad id facultas habeatur, neque ad validitatem, neque ex rigoroso præcepto, esse adhibendas formulas quæ exstant in Rituali, cum sufficiat aliquo modo voluntatem absolventis vel dispensantis manifestari et facultatis concessæ tenorem servari.

2) S. Congr. Indulg. 27 Martii 1854. Exstat in opere *Raccolta di orazioni e pie opere. Append. I. n. 3.*

TITULUS V.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS

CAPUT I.

De natura hujus Sacramenti, ejusque materia et forma.

141. Sacramentum hoc, ex tempore quo conferr solet, *Extremæ Unctionis* a sæculo XI. nomen ac cepit; dum antiquitus variis nominibus appellabatu *Oleum infirmorum, Oratio cum Unctione, Orati Olei*, etc. Definiri autem solet « Sacramentum nova Legis, quo per Olei Unctionem, et orationem Sa cerdotis, adultis ægrotis vita periclitantibus salu animæ et quandoque etiam corporis confertur ». D veritate hujus Sacramenti, de ejusdem institutione et effectibus nihil nobis agendum; tantum ejusder ministrandi ritus exponendus est.: cetera pene Theologos dogmaticos et morales conferantur.

142. Materia hujus Sacramenti remota est — O leum olivarum — ab Episcopo (vel a Sacerdote a Apostolica Sede delegato) benedictum — speciali be nedictione Olei infirmorum. Si primum, vel alterur desit, materia certe est invalida; si tertium, dubia

a) Oleum debet esse non ex aliis materiis, siv animalibus aut mineralibus, sive etiam vegetalibus sed ex olearum baccis tantummodo expressum « Aptissime autem hæc materia illud significa quod vi Sacramenti interius in anima efficitur Nam, ut oleum ad mitigandos corporis dolore magnopere proficit, ita Sacramenti virtus anima

tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, et lumini tamquam pabulum præbet; tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accomodatum est; quæ omnia quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant »[1].

b) Debet esse benedictum ab Episcopo, vel a Sacerdote ab Apostolica Sede delegato. Benedictio hujus Olei adeo est reservata Episcopis, ut ne Episcopus quidem possit eam delegare Sacerdoti, et Sacerdos omnino invalide benedicat: hinc ne in casu quidem extremæ necessitatis potest Sacerdos uti Oleo a se vel ab alio Sacerdote benedicto[2]. Tamen Apostolica Sedes potest hanc Benedictionem simplici Sacerdoti delegare, et eam de facto delegat Sacerdotibus ritus græci.

c) Debet esse benedictum speciali Benedictione Olei infirmorum. Triplex Oleum benedicitur in usum Sacramentorum et Sacramentalium: Oleum nempe catechumenorum, Chrisma, et Oleum infirmorum; eorumque Benedictio propriis ritibus fit ab Episcopo Feria V. in Cœna Domini. Ad usum Sacramenti Extremæ Unctionis adhibendum est Oleum infirmorum, adeo ut Sacerdos, qui ex negligentia culpabili aliud adhibeat, mortaliter peccet.

Quæres: Si Oleum catechumenorum, aut Chrisma adhibeatur, estne invalidum Sacramentum?

Respondeo: Duplex est Doctorum sententia, utraque probabilis; hinc Sacramenti validitas dubia. Consequenter, si Oleum proprium infirmorum habeatur, hoc est omnino adhibendum: in ejus de-

1) *Catech. Conc. Trid. De Extr. Unctione n. 5.*
2) Ex Decr. S. U. Inquis. 14 Sept. 1842, 10 Jan. 1856, et 15 Maji 1889.

fectu aliud adhibeatur sub forma conditionata; dein, si tempus supersit, et Oleum infirmorum accipiatur, Sacramentum iterum sub forma conditionata administretur.

143. Oleum infirmorum, sicut cetera Olea sacra, renovandum est quolibet anno Feria V. in Cœna Domini [1]. De ejus conservatione, de vasibus in quibus asservandum est, de casu quod decursu temporis deficere videatur, lectorem remittimus ad ea, quæ exposuimus circa Olea in usum Baptismi benedicta. Tantum circa locum attendantur hæc responsa S. R. C.: « Sacerdotes curam animarum exercentes, pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent sanctum Oleum infirmorum: quæritur an, attenta consuetudine, hanc praxim *licite* retinere valeant? » Resp. « Negative, et servetur Rituale Romanum: excepto tamen casu magnæ distantiæ ab Ecclesia, quo in casu servetur etiam domi Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam » [2]. « Possuntne Parochi retinere sanctum Oleum infirmorum in domo sua, eo quod extra Ecclesiam parochialem habitent, non obstantibus sacræ Rituum Congregationis Decretis? » Resp. « Negative » [3]. « Causa sufficiens haberi potest ad permittendum Parochis Oleum infirmorum domi retinere, quia hæc ab Ecclesia parochiali sejuncta est; ita ut hujus fores noctu per accitos famulos aperiendæ essent? » Resp. « Standum Decreto in una *Tolet.* diei 31 Augusti 1872 » [4].

1) Si recens Oleum haberi non poterit, veteri uti licet, et eo deficiente, potest aliud non benedictum adjungi, in minori quantitate. *Rit. Rom.*
2) S. R. C. 16 Decembris 1826, n. 2650, ad III.
3) S. R. C. 31 Augusti 1872, n. 3276, ad V.
4) S. R. C. 23 Junii 1892, n. 3779, ad VII.

144. Materia proxima Sacramenti Extremæ Unctionis est applicatio sacri Olei ad sensus corporis infirmi, seu Unctio ipsa. Quod Unctio saltem una fiat, id omnino pertinet ad essentiam Sacramenti; quod singuli quinque sensus (visus, auditus, gustus, odoratus et tactus) ungantur, id ad essentiam pertinet probabiliter; quod præter manus, etiam renes et pedes ungantur, item quod in duabus partibus cujuscumque sensus Unctio gemina fiat, id nullatenus ad essentiam Sacramenti spectat: consectaria practica per se manifesta sunt.

145. Quum Christus Sacramentorum institutor formam Extremæ Unctionis in genere tantum determinaverit, ideo circa ipsam varietas quædam exstitisse in usu Ecclesiæ videtur. Alicubi adhibita fuit forma indicativa, ut in Rituali Ambrosiano: *Ungo te Oleo sanctificato in nomine Patris*, etc.: alibi forma simul imperativa: *Inungo te Oleo sancto... operare creatura Olei in nomine Patris*, etc. [1]; verum forma, qua modo sancta Romana Ecclesia utitur, et qua Sacerdotes latini uti debent, solemnis illa precatio est, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet: *Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, per auditum, ... deliquisti.* Ex his quædam sunt certe essentialia, ut ea: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*; item essentialia videntur verba *per sensus*, saltem in communi, et probabiliter etiam sensuum singularium *per visum, auditum*, etc.; probabiliter de essentia quoque est forma deprecativa, quum indicativa a pluribus habeatur invalida. Cetera omnia, quamvis non essentialia, sunt

1) Cf. **Martene** *De ant. Eccl. ritibus Lib. I. Cap. VII. art. 4.*

tamen præcepta, quædam sub gravi, ut ea per *suam misericordiam* [1], quædam sub levi, ut *sanctam, piissimam, Amen.*

CAPUT II.

De Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis.

146. Minister hujus Sacramenti esse potest omnis et solus Sacerdos, quippe qui solus est Presbyter ille, de quo sermo est in Epistola S. Jacobi [2]. Licite tamen hoc Sacramentum ministrat Parochus proprius loci in quo infirmus degit [3]); qui hac in re jus Parochi lædat, per se peccat mortaliter, et Religiosus qui violare præsumat, incurrit excommunicationem R. Pontifici reservatam in Const. *Apostolicæ Sedis.* Tamen quilibet sive sæcularis, sive regularis Sacerdos ministrare licite potest ex Parochi licentia, sive expressa, sive tacita aut præsumpta.

Quamvis S. Jacobus dicat convocandos esse *Presbyteros*, tamen certa doctrina est hoc Sacramentum etiam ab unico Sacerdote valide conferri, ut modo consuevit Ecclesia latina. Quod si Rituale monet convocandos esse Clericos, rationem simul indicat, nempe ut Sacerdoti ministranti inserviant et respondeant, ac simul orantes pro infirmo uberiorem Sacramenti fructum implorent, ex ratione quam exhibet S. Thomas: « Quia hoc Sacramentum

1) **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. n. 711.*
2) *Conc. Trid. Sess. XIV. De Extr. Unct. Cap. II. et can. 2.*
3) S. C. C. 16 Septembris 1871.

perfectæ curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento quod multi Sacerdotes intersint, et quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujs Sacramenti coadjuvet »[1].

Possetne hoc Sacramentum a pluribus conferri?

Respondeo: Si unus sacram Unctionem faciat, alter proferat verba, Sacramentum certe non valet: si uterque et ungat et verba proferat, sive id simul faciant, sive successive, Sacramentum valet. Ceterum hæc ratio Sacramenti conferendi sub gravi prohibetur, excepto casu quod infirmus ad exitum properare videatur, vel Sacerdos post aliquas Unctiones defecerit.

147. Sacerdos hoc Sacramentum ministrans debet in statu gratiæ versari, prout alibi declaravimus; item, si facile possit, manus abluat ob reverentiam erga sacras Unctiones. Quoad vestes, Rituale postulat superpelliceum ac stolam violacei coloris in actu ministrandi Sacramentum; circa delationem sacri Olei, nihil directe et universaliter decernit.

Itaque: *a*) Quoad delationem, duo sunt extrema cavenda. Prohibitum est a S. R. C. ne sanctum Oleum ad infirmos deferatur solemniter cum superpelliceo ac laternis[2]; at simul procurandum, ne deferatur irreverenter. Deferre poterit Sacerdos, qui defert sacram Eucharistiam; si tamen alius Sacerdos vel Diaconus haberi possit, per ipsum deferatur, qui superpelliceo indutus cum Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem. Extra hunc casum Parochus ipse (vel Sacerdos) accipiat vas sacri Olei sacculo serico vio-

1) **S. Thomas** *Contra Gentes Lib. IV. Cap. LXXIII.*
2) S. R. C. 28 Januarii 1606, n. 196.

lacei coloris inclusum, et caute deferat, ne effundi possit: procedat autem sine sonitu campanulæ [1]. Attamen si forte Sacerdos ad lectum infirmi detineatur, nec adsit Diaconus, procuret ad se Oleum deferri per Clericum; si ne Clericus quidem habeatur, non ideo omittendum Sacramentum; sed Oleum ad se deferri jubeat per aliquem virum laicum pium ac prudentem.

b) Quoad administrationem, sacræ vestes *præcipiuntur,* superpelliceum nempe ac stola violacei coloris. Quare hoc Sacramentum absque ulla veste sacra ministrare peccatum est, et quidem mortale, si casum necessitatis excipias, in quo nullum est peccatum [2]. Nec licebit unam tantum vestem adhibere. Interrogata enim S. R. C. « An Sacramentum Extremæ Unctionis cum stola tantum administrari possit? » Respondit: « Negative » [3]. Tamen « omittere vel solam stolam, vel solum superpelliceum, dicunt non excedere veniale » [4]. Quare, si non potest absque aliquo incommodo ad domum infirmi superpelliceum deferri, licebit cum stola dumtaxat hoc Sacramentum ministrare.

148. Rituale exigit etiam ministrum inservientem, cujus munus sit Sacerdoti respondere, bacile sacri Olei sustinere, et, si in sacris sit, loca inuncta bombacio vel re simili abstergere. Verum, si minister desit, omnia per se præstet Sacerdos, nec permittat mulierem officium inservientis præbere; non videtur tamen prohibitum, quod viro deficiente, mulier bacile sacri Olei sustineat.

1) Ex *Rit. Rom. Tit. V. Cap. I. num. 13, Cap. II. num. 2.*
2) Cf. **S. Alphonsus** *Theol. Mor. L. VI. n. 276.*
3) S. R. C. 16 Decembris 1826, n. 2650, ad III.
4) Apud **Scavini** *Theol. Mor. L. III. n. 416.*

149. Quæstiones de subjecto Extremæ Unctionis, de hujus Sacramenti iteratione et efficacia, quum propriæ sint Theologiæ moralis, omittendas censemus.

Quæ sint in cubiculo infirmi præparanda, tradit Rituale Cap. 2 n. 1 ; scilicet: mensa mappâ candidâ cooperta, vas cum bombacio, nisi hoc secum deferat Sacerdos, medulla panis et aqua ad digitos ac manus Sacerdotis post sacram Unctionem abluendas, et cerea candela: insuper et cubiculum et omnia in eo munda sint ac nitida, quantum fieri potest [1].

Quæres: Num cerea candela omnino præcipiatur? Resp. Profecto, deficiente cerea candela, non est omittendum Sacramentum. Num vero, præter hunc casum, saltem veniale sit hoc Sacramentum absque lumine conferre, Doctores disputant; communius tamen affirmant.

Olim Extrema Unctio ante sacrum Viaticum ministrabatur; nunc vero, quum et praxis Ecclesiæ et Rubrica Ritualis contraria sit, id sine rationabili causa fieri non bebet; mutatio tamen ordinis per se grave peccatum non est [2]. Postquam infirmo fuit S. Viaticum administratum, potest (et regulariter expedit) dari Extrema Unctio, quin ulterius differatur [3].

1) Laudabile quoque est si, ob sacri Olei reverentiam, partes inungendæ, pedes præsertim ac manus, prius ab omni sorde, quantum sine incommodo infirmi fieri potest, abluantur.
2) Cf. **Bened. XIV.** *De Syn. Diœces. Lib. VIII. Cap. VIII.* et S. R. C. 8 Mart. 1879, n. 3486.
3) Cf. **Frassinetti** *Man. del Parr. nov. P. II. Cap. II. App. I.*

CAPUT III.

De ritu hujus Sacramenti conferendi.

150. Triplici parte hic ritus constat: Precibus ab adstantibus dicendis, dum infirmus sacro linitur Oleo; Orationibus recitandis a Sacerdote ante et post collatum Sacramentum; Sacramenti ipsius confectione et administratione.

Preces dicendæ ab adstantibus sunt septem Psalmi Pœnitentiales cum Litaniis, quæ habentur in Rituali, immediate post Ordinem conferendi Sacramentum Extremæ Unctionis: hæ sunt de consilio.

Orationes recitandæ a Sacerdote antequam conferat Sacramentum, præter versiculum *Pax huic domui* et antiphonam *Asperges*, etc., sunt tres illæ quæ statim subnectuntur n. 5. *Introeat* etc; facta variatione generis ubi occurrit, cum Confessione generali, et quæ sacram Unctionem sequuntur n. 12. Istæ orationes sub gravi præcipiuntur; at unam ex eis omittere non excedit veniale. Quod si mors instare videatur, ex parte vel in totum præcedentes poterunt omitti; quo in casu, si infirmus supervivat, deinde suppleantur [1]. Facienda est Confessio generalis sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio, per formulam *Confiteor*, etsi eadem paulo ante recitata fuerit pro Sacramento Eucharistiæ ministrando [2]. Dum ea formula recitatur, Sacerdos vasculum sacri Olei discooperit, et ex

1) *Rit. Rom. Tit. V. Cap. I. num. 10.*

2) S. C. Indulg. 5 Febr. 1841, n. 286. ad VI. Quovis alio deficiente, formulam ipse Sacerdos recitabit.

bombacio sex vel septem globulos efformat; nisi id antea præstiterit.

151. Confectio et administratio Sacramenti incipit per orationem *In nomine Patris*. Omnia et singula dilucide in Rituali exponuntur; unde nobis satis erit quædam minoris momenti advertere.

Sacræ Unctiones faciendæ omnino sunt pollice, nec licet stylo, vel pennicillo, aut virgula argentea uti, quamvis perantiqua praxis habeatur. Id tantum licebit in casu necessitatis, ex. gr. tempore pestis, ut sæpe S. Congregatio declaravit [1].

Si, ut communiter fit, Sacerdos ipse debeat loca inuncta abstergere [2], antequam pollicem in vasculo intingat, globulum bombacii inter medium et annularem accipiat, quo Unctionem abstergat. In geminis sensibus liniendis, prius utramque partem ungat, deteram præferendo sinistræ, dein utramque abstergat; verum, si periculum sit quod Unctio partis unius interim vestibus aut linteolis profanetur, ut in Unctione aurium, partem inunctam abstergat, antequam ungat alteram: in hoc casu præ oculis habeat monitum Ritualis ne scilicet Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo paria membra perunxerit. Post quamlibet Unctionem globulum seponat, et alterum suscipiat.

Omnes et singulæ Unctiones, præter casus de quibus dicemus inferius, faciendæ sunt de præcepto, et quidem sub pœna peccati mortalis; item de præcepto est signum Crucis ad singulas Unctiones,

1) S. R. C. 9 Maji 1857, n. 3051, ad II, 31 Augusti 1872, n. 3276, ad III. Cf. **Bened. XIV**. *De Syn. Diœc. Lib. XIII. Cap. XIX.*

2) Peropportune Parochus secum ducet neosacerdotem, qui et loca inuncta abstergat, et simul praxim Sacramenti conferendi addiscat.

at sub levi tantum: dextera pars præferatur sinistræ.

Liniendi sunt singuli sensus ordine qui est in Rituali, nisi causa invertendi rationabilis habeatur: sine causa ordinem mutare, peccato non vacat. Singuli sensus hoc modo liniantur: Visus gemina Unctione super palpebras, oculis occlusis; auditus item gemina Unctione ad extremitatem inferiorem utriusque auris; odoratus Unctione unica in summitate, vel ad alterutram alam narium [1]; gustus item Unctione unica super labia compressa; tactus vero ad manus, pedes, et renes: quoad manus, ungatur pars utriusque manus interior, sed in Sacerdotibus exterior; quoad pedes, inferior aut superior pro diversa consuetudine, aut etiam opportunitate [2]: quoad renes, hæc Unctio in feminis omittatur semper, in viris quoties ob infirmitatem vix, aut non sine periculo moveri possunt [3].

152. Si infirmus aliquo membro careat, quamvis a nativitate, vel nimis incommodum sit prædictam formam ungendi rite servare, puta quia infirmus oculos non claudit, labia non comprimit, manum non movet; ungatur pars proximior, quæ sine magna difficultate ungi queat; ita pars oculorum

1) Ita quidem **De Herdt** et alii plures; quidam geminam præferunt, ut **Lehmkuhl** *Theol. Mor. Vol. II. num. 569.*

2) Ad quæsitum: « Anne, ultra pedum partem superiorem, inferior quoque ungenda sit in Sacramento Extremæ Unctionis? » S. R. C. respondit: « Nihil innovandum ». 27 Augusti 1836, n. 2743, ad I. Cf. Suffragium super hoc Decreto, in *Collect. Auth. Vol. IV.* n. 2743. Romæ pars inferior ungi solet.

3) Si alicubi consuetudo vigeat, quod etiam in viris Unctio renum omittatur, ardentissimum votum est S. C., ut, curantibus Episcopis et docentibus Parochis, paulatim disponantur fideles ad istam quoque Unctionem recipiendam. S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3075.

superior aut inferior, alterutrum labium, etc. Attamen « sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet ». Rit. Rom. Cap. I. n. 15.

Si alterutra gemini sensus pars absque difficultate attingi nequit, puta altera auris vel manus, ejus Unctio sine scrupulo omittatur, quippe quæ certe ad essentiam Sacramenti non pertinet.

Post ultimam pedum vel renum Unctionem, deposito super mensam vasculo sacri Olei, Sacerdos novo bombacii globulo suum pollicem abstergat. « Quibus omnibus peractis dicit *Kyrie eleison* » etc. Etiam hæ preces et orationes vere præcipiuntur, ita tamen ut in eis parvitas materiæ admittatur. Iisdem absolutis, lavet manus, digitos cum medulla panis abstergat: ablutio in sacrarium projicienda foret; attamen consentiunt Auctores aquam abstersionis et bombacium, et quidquid ad abstersionem adhibitum fuerit, relinqui posse familiaribus infirmi, ut in ignem projiciant [1].

153. « Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur Unctiones, cito ungatur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam Unctionem* ». Si et ad hæc tempus deesse timeatur, ungantur sensus in capite, unus oculus, una auris, nares, os, et pro tactu maxilla, sub unica forma: *Per istas Unctiones et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus visûs, auditûs, odoratûs, gustûs et tactûs. Amen.* Demum in extremo agone fiat unica Unctio in fronte dicendo: *Per istam Unctionem et suam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per omnes sensus.* —

1) Cf. **Berengo** *Enchir. Paroch. P. II. Cap. III. num. 114.*

Quoties Sacramentum sub materia, sive remota, sive proxima, dubia, vel sub dubia forma fuit ministratum, si dein infirmus supervivat, iterandum est sub forma conditionata. Item supervivente infirmo recitandæ sunt orationes omissæ: hoc autem non ex necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ.

Cetera quæ traduntur in Rituali de Cruce porrigenda infirmo ad osculandum, de Aqua lustrali et de Cruce in domo ipsius relinquenda, de monitis præbendis, etc., de consilio tantummodo sunt, nullatenus, ne late quidem, de præcepto: idem dicatur de Psalmis Pœnitentialibus ac Litaniis Sanctorum [1]. Circa obligationem qua Parochi eorumve cooperatores tenentur moribundis, etiam post collata Sacramenta, adsistere usque dum expiraverint, S. C. Concilii declaravit standum esse præscriptionibus Ritualis Romani et doctrinis probatorum auctorum [2]. Parochus zelo flagrans animarum, quæstionem hanc ad pedes Jesu Crucifixi ac lumine æternitatis, potius quam juxta rigidos terminos juris, perpendat ac definiat.

1) Cf. **Alphonsus** *Theol. Mor. Lib. VI. num. 727.*
2) S. C. C. 23 Martii 1878. Synoptica hujus quæstionis in S. Cong. discussio videri potest penes *Acta S. Sedis XI.* pag. 189.

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII

CAPUT I.

De natura propria hujus Sacramenti.

154. Matrimonium christianum definiri potest: « Contractus ad Sacramenti dignitatem elevatus, quo vir et mulier baptizati, fœdere maritali unitatis et indissolubilitatis vinculo obstricto, formâ ab Ecclesia præscriptâ se conjungunt ».

Omissis veterum controversiis, nunc certum est et fidei proximum rationem Sacramenti non accedere ad contractum, sed ipsum contractum naturalem fuisse a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevatum; adeo ut inter christianos, aut Sacramentum Matrimonii habeatur, aut ne contractus quidem [1]. Hinc explicari clarius potest ratio hujus Sacramenti. Quum ad rationem cujuscumque Sacramenti pertineant materia, forma et minister; patet *a*) ministros hujus Sacramenti esse ipsos contrahentes, quum certo constet Matrimonium clandestinum, tum ubique ante Tridentinum Concilium, tum post ipsum in locis ubi lex Tridentina promulgata non fuit, fuisse et esse verum Matrimonium, et proinde verum Sacramentum [2]. Patet eosdem contrahentes tum formam, tum materiam præstare:

1) Cf. *Propos. LXVI. et LXXIII. in Syllabo* **Pii IX.**
2) *Conc. Trid. Sess. XXIV. De Reform. Matrim. Cap. I.*

forma *b*) non est in verbis Sacerdotis benedicentis [1], sed in verbis quibus contrahentes suum consensum exprimunt; materia *c*) juxta alios est ipse contractus, juxta alios est acceptatio juris quod per alterius partis consensum acquiritur, juxta alios sunt ipsa corpora contrahentium. Sed hæc disputanda remittimus Theologis.

155. Quamvis, ex dictis, Matrimonium absque ministerio Sacerdotis celebratum validum esse possit, ac olim validum fuerit, tamen Ecclesia a primis temporibus instituit, ut Matrimonia christianorum absque Sacerdotis ministerio non fierent, et Matrimonia secus inita « S. Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata est, atque prohibuit » [2]. Quapropter interesse debuit in Matrimoniis celebrandis semper ministerium sacerdotale; at modo ubi Concilium Tridentinum promulgatum fuit, ita Ministri Ecclesiæ præsentia requiritur, ut secus Matrimonium valide contrahi nequeat.

Hoc, et non alio sensu, Sacerdotem, qui Matrimonio interesse debet, quasi-ministrum, vel simplicius Ministrum appellamus.

1) Cf. **Duchesne** *Orig. du culte chret. Chap. XIV.* pag. 415 n. 1.
2) *Conc. Trid.* loc. cit. Dicitur S. Evaristus constituisse ut Matrimonia in Ecclesia celebrarentur: certe ita universaliter fiebat sæculo III. Cf. **Tertull.** *Ad uxor. Lib. II. Cap. IX.* et *De Pudic. Cap. IV.*

CAPUT II.

De Sacerdote quasi-ministro hujus Sacramenti.

156. Minister Sacramenti Matrimonii est Parochus, vel Sacerdos quilibet a Parocho delegatus [1]. Parochus heic accipitur, non originis, sed habitationis, idest domicilii vel quasi-domicilii contrahentium; si hi ad diversas parœcias pertinent, quoad validitatem, adsistere potest uterlibet; quoad liceitatem, ille cui aut diœcesana statuta aut locales consuetudines hoc jus conferunt, ex quibus communiter obtinet ut Parochus sponse præferatur.

Parochus, qui jus habet adsistendi Matrimonio, potest hoc munus alteri Sacerdoti delegare tum valide, tum licite, etiam ex levi causa. Requiritur vero delegatio proprie dicta, sive ad hoc Matrimonium celebrandum, sive generatim ad vices Parochi absentis fungendas; nec præsumpta delegatione utendum est. Insuper delegari tantum potest Sacerdos; unde quamvis Parochus Diaconus, imo et Clericus, possit adsistere Matrimonio, illicite et invalide Diaconus delegaretur.

Parochus, vel Sacerdos (non item Diaconus), qui legitimi Parochi jus hac in re violare ausus fuerit, præter Sacramenti invalidatem, incurrit ipso jure

1) Præ oculis habemus regiones in quibus Concilium Tridentinum promulgatum est et viget: quæ in his regionibus obstant validitati et liceitati Matrimonii, in ceteris liceitati tantummodo obstant. Qæstiones de domicilio et quasi-domicilio omittimus; item plures alias, quæ, quamvis maximi sint momenti, tamen ad rem nostram pertinere non videntur.

suspensionem, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo Benedictio suscipienda erat, absolvatur [1].

Eo ipso quod Sacerdos in hoc Sacramento Ministri officium non gerit, ideo si in peccato mortali Matrimonio adsistat, grave sacrilegium non committit. At si esset exsommunicatus vitandus, peccaret Matrimonio adsistens, non peccaret hoc munus alteri committens.

157. Vestes in hoc ministerio adhibendæ, præter communem talarem, sunt superpelliceum et stola albi coloris. Hinc etiam Canonicus debet deponere cappam seu mozzetam; potest tamen cottam super imponere rocchetto.

Quæstio proposita fuit: « Utrum uti valeat Sacerdos alba cum stola in pectus transversa... in celebrando Matrimonio, cum immediate post absolutionem ritus Matrimonii Missam *Pro sponso et sponsa* celebraturus sit? » — Respondit S. R. C.: « Si immediate sequitur Missa, Sacerdos præter albam et stolam induere debet etiam planetam » [2]. Hæc resolutio applicari posse videtur etiam in casu, quo, vetitâ per Rubricas Missâ votivâ, celebranda sit Missa de die in paramentis coloris rubri aut viridis; saltem si in ea Missa danda sit Benedictio nuptialis. Si enim immediate ante Missam de *Requiem* distribui potest SS. Eucharistia in paramentis coloris nigri, a fortiori celebrari poterit Matrimonium in paramentis coloris rubri vel viridis, imo et violacei in tribus Dominicis ante Quadragesi-

1) *Conc. Trident. Sess. XXIV. De ref. Matrim. Cap. 1.*
2) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3158, ad III. — Non assumet manipulum. Cf. **Martinucci** *Man. SS. Cærem. L. IV. Cap. XII. num. 3* et **Fumagalli** *Manuale P. I. Cap. VI.*

mam. Verum congruentius forte se geret Sacerdos, qui pro Matrimonio superpelliceum et stolam albam adhibeat, ac dein in sacrarium rediens paramenta assumat pro Missa.

158. Sacerdos Matrimonium celebraturus adhibere quoque debet Clericum inservientem. Juxta Rubricam, curabit puerum inservientem veste talari ac superpelliceo indui, quod facile consequetur; hic librum et vas Aquæ benedictæ cum aspersorio deferet, ac ad preces Sacerdotis respondebit.

CAPUT III.

De loco ac tempore quo celebrandum est Matrimonium.

159. Quum Matrimonium Sacramentum, et quidem magnum Sacramentum sit, ideo regulariter in Ecclesia maxime celebrari decet [1]. Verum ipsa forma Rubricæ indicat adesse causas, et quidem non omnino graves, quibus Matrimonium extra Ecclesiam celebrari queat. Hujusmodi causæ tres assignari possunt: *a*) infirmitas gravis alterutrius contrahentis, quando celebrandum est Matrimonium *in extremis; b*) legitimum privilegium, quo gaudere possunt Principes, ceterique nobiles viri, sive ex jure, sive ex speciali Apostolicæ Sedis concessione; *c*) legitima locorum consuetudo, cui in singulis casibus accedat Ordinarii licentia. Sic enim S. R. C.: « Matrimonium in facie Ecclesiæ, sive in Ecclesia, maxime celebrare decet: haud tamen vetitum est locorum Ordinariis, ut, si nullum

1) *Rit. Rom. Cap. I. n. 16.*

immineat periculum ac laudabiles concurrant causæ, illud celebrare quandoque pro sua prudentia permittant in privatis Oratoriis, in quibus Sacrum fieri valeat » [1]. Eo in casu, in iisdem Oratoriis celebrari quoque potest Missa nuptialis (utique si privilegium Oratorii privati habeatur). Hisce causis addi facile potest ratio scandali vitandi, quæ in Matrimoniis secretis, seu *conscientiæ*, locum habere potest.

160. Itaque intra Ecclesiam ante Altare majus, vel aliud Altare specialis devotionis, genuflexorium pro sponsis decenter paretur, duobus minoribus hinc inde appositis pro testibus.

Quæres: Num Matrimonium intra presbyterium celebrari deceat? — Respondeo: Nil vetat celebrari intra presbyterium Altaris, in quo SS. Sacramentum non asservatur. Quod si in eo Altari Sacramentum non asservatur, locus ille minime conveniens esse videtur Matrimonio celebrando, eo magis quod laicis generatim vetitum est presbyterium intrare. Tamen si Matrimonium celebretur a Sacerdote sacris paramentis induto, et mox Missam celebraturo, non improbatur quod ritus matrimonialis in presbyterio, imo super gradus Altaris peragatur [2].

161. Jure communi nullum tempus est, quo celebratio Matrimonii vetetur; tantummodo solemnitates Nuptiarum, scilicet earum Benedictio, quæ nempe intra Missam fit, et pompa externa ex decreto Concilii Tridentini prohibentur tempore clauso, nempe a Dominica prima Adventus ad Epiphaniam *inclusive*, et a Feria IV. Cinerum ad

2) S. R. C. 31 Augusti 1872 n. 3265, ad II.

1) Cf. **Martinucci** Op. cit. *L. IV. Cap. XII. num. 4 et 5.*

Dominicam in Albis item *inclusive* [1]. Hæc prohibitio, juxta communem sententiam, obligat sub gravi, ac ejusmodi est ut Episcopus ab ea dispensare nullatenus valeat [2]. Quinimo nec ipsum Matrimonium hoc tempore celebrari Ecclesia omnino probat, et generatim rationabilem causam et Ordinarii licentiam requirit [3]. Item votum est Ecclesiæ, ut Matrimonium cum quadam solemnitate ac publicitate celebretur; hinc præferendas esse horas diurnas antemeridianas, nisi ratio honestatis, vel alia quælibet rationabilis, horas vespertinas aut nocturnas postulet.

CAPUT IV.

De sponsis.

162. Quoniam sponsi Matrimonium contrahentes sunt veri hujus Sacramenti ministri, et insuper iidem Sacramentum suscipiunt, ideo in eis statum gratiæ requiri certissimum est. Nulla tamen exsistit lex generalis, quæ sacramentalem confessionem huic Sacramento præmittendam præcipiat; hinc Parochus, nisi alicubi lex quæpiam particularis exsistat, exigere nequit a sponsis schedulam peractæ confessionis. Quid agendum sit Parocho, cui

1) *Conc. Trid. Sess. XXIV. De Ref. Matrim. Cap. X.*
2) S. R. C. 23 Junii 1853, n. 3016, ad III. et 14 Aug. 1858, n. 3079, ad II. Cf. **Benedict. XIV.** *Instit. LXXX.* Ratio prohibitionis fuit reverentia SS. Communioni exhibenda, quæ olim, præterquam in Paschate, etiam in Festis Jesu Christi natalitiis sumenda erat ex præcepto. Cf. **S. Thom.** *In IV. Sentent. Distinct. XXXII. Quæst. un. Solut 4.*
3) Cf. S. R. C. 25 Sept. 1875, n. 3380, ad II.

certo constet sponsos, vel alterutrum ex illis in statu peccati versari; item quid uni parti agendum, cui de peccato constet alterius, tradunt fuse auctores Theologiæ moralis.

E contra, Matrimonio interdicuntur qui sint aliquâ censurâ irretiti. In eo casu Parochus, postquam omnem curam frustra adhibuit, ut sponsos cum Ecclesia reconciliet, Episcopum consulere non omittat. Quid vero agendum sit, quando, propter temporis augustias, recursus ad Episcopum non pateat, tradit S. Alphonsus Lib. VI. n. 54, ubi, postquam generatim docuit eum non posse hisce Matrimoniis adsistere, subdit: « Parochus autem excusari potest ad vitandam mortem, vel alia majora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato ».

163. Opportuna esse poterunt sequentia responsa:

a) Inter dubia S. Pœnitentiariæ, proposita anno 1860 hæc habentur:

Dub. 18. Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione Matrimoniorum illorum, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?

Resp. « Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur. At si reconciliari recusent, et nisi Matrimonium celebratur gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quæ a probatis auctoribus, et præsertim a S. Alphonso (Lib. VI. Tract. I. Cap. II. n. 54) traduntur, ea declaret, quæ magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missæ celebratione ».

Dub. 19. Item, quomodo se gerere debeant Episcopi et Parochi, si quis ex supradictis censuris

innodatis se sisteret, ut in Sacramento sive Confirmationis, sive Baptimatis Patrinum agat?

Resp. « Ut in præcedenti ». S. Pœn. 10 Dec. 1860.

b) In Matrimoniis eorum qui sectæ massonicæ adscripti sunt, per se sola passiva adsistentia absque Benedictione alioque ritu ecclesiastico permittitur, quando ex denegata adsistentia grave scandalum vel damnum oriatur. Ita ex *Instr. S. C. de Prop. Fide ad Epp. Brasiliæ* die 5 Julii 1878.

« Quod attinet ad Matrimonium, in quo una pars contrahentium clandestinis aggregationibus notorie adhæret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac de re ediderit, oportet, ut Pastores caute et prudenter se gerant; et debent potius in casibus particularibus ea statuere, quæ magis in Domino expedire judicaverint, quam generali regula aliquid decernere: omnino vero excludatur celebratio Sacrificii Missæ, nisi quando adjuncta aliter exigant » C. S. Off. die 21 Febr. 1883. Idem applicandum esse censemus in casu quo Matrimonium contrahere velit quispiam ex iis, qui se atheos, materialistas, vel *liberos cogitatores* jactant [1].

164. Insuper Rituale monet contrahentes, ut postquam sua peccata diligenter confessi sunt, SS. Eucharistiam devote suscipiant. Quoad utrumque Sacramentum, Parochus hortando pro viribus instet, a præcipiendo abstineat. Item eisdem in habitu et incessu eam modestiam inculcet quæ Sacramento debetur: « Nuptiæ qua decet modestia et honestate fiant; sancta enim res est Matrimonium, sancteque tractandum » [2]. Convenit sponsos parentum vel propinquorum suorum præsentia cohonestari.

1) Cf. **M. C. G.** *Consult. Mor.-Can.-Lit. P. I. Cons. XX.*
2) *Rituale Rom. hoc. Tit. Cap. I. num. 18.*

Antiquitus quidem mos erat, ut dum Matrimonium celebrabatur, velum super sponsos extenderetur, quod *flammeum nuptiale* et *velamen sacerdotale* appellabatur [1]. Verum, quum progressu temporis abusus orti essent, S. R. C. declaravit nec pallium, nec baldacchinum in nuptialibus Benedictionibus sponsis convenire, et ordinavit ut in futurum nullo modo pro sponsis benedicendis pallium, seu baldacchinum paretur [2].

CAPUT V.

De ritu hujus Sacramenti celebrandi.

165. Quum sponsi Sacramentum hoc et conferant et simul suscipiant, ideo eos ante Altare genuflexos Matrimonium contrahere oportet. Tum ad eos Parochus, vel Sacerdos a Parocho delegatus, accedit, ac utrumque singillatim de consensu in Matrimonium interrogat vulgari sermone. Prius sponsum interrogat: *N. vis accipere N. hic præsentem in tuam legitimam uxorem juxta ritum sanctæ Matris Ecclesiæ?* Respondet sponsus: *Volo.* Deinde similiter interrogat et sponsam.

166. Quia maxime in hoc Sacramento interest, ut consensus utriusque partis certo cognoscatur, non modo a Parocho, sed etiam a testibus, et multo magis ab ipsis contrahentibus, ideo interro-

1) Cf. **Selvaggio** *Antiquitates christianæ L. III. Cap. XV. § 2.* et **Lapini** *Istituzioni lit.* etc. *Lez. 36.*

2) S. R. C. 25 Febr. 1606, n. 200. At ubi usus jamdiu vigeat, illum servari posse respondit 15 Sept. 1881, n. 3531, ad VI. et 27 Febr. 1886, n. 3656.

gationes Ritualis faciendæ sunt vulgari sermone, eodemque vulgari sermone exigendæ sunt responsiones. Parochus quoties in Rituali habetur litera *N.*, cognomen et nomen utriusque contrahentis substituat; interrogans vero in lingua vulgari, eam formam adhibeat, quæ in qualibet regione communis est, et qua ipsa Ecclesia uti velle præsumitur [1].

Eadem ratione Parochus responsiones exigere debet, nisi de mutis agatur, verbis expressas, non tantum nutibus; et quidem claris, apertis, vulgari sermone prolatis, ita ut et a Parocho et a testibus clare percipiantur. Hac in re Parochus, qui humano motus respectu nutibus, aut verbis non aperte prolatis contentus sit, facile peccare potest: quamvis enim Rubrica Ritualis indicet sufficere amborum consensum *aliquo signo sensibili* expressum, tamen ex Ecclesiæ consuetudine auctores deducunt exprimendum esse per verba; adeo ut si secus, absque rationabili causa, fiat, veniali non vacet. Quin imo, si nutus incertus sit, aut verba non ita clare expressa, ut a Parocho et testibus percipiantur, in dubium vocari potest ipse valor Matrimonii, et Parochus tale dubium non impediens reus erit peccati mortalis [2].

Si Matrimonium per procuratorem contrahatur, eodem modo procurator consensum nomine mandantis per verba clare prolata manifestare debet; ceterum ad Matrimonium tali ratione celebrandum tum rationabilis causa, tum auctoritas Ordinari requiritur.

1) Cognomini ac nomini nullus, saltem *communiter*, præfigendus aut adjiciendus esse videtur titulus conditionis, aut gradus, aut dignitatis.

2) Cf. **S. Alphonsus** *Theol. Mor. Lib. VI. num. 887* et seqq.

167. Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Sacerdos jubeat eos invicem jungere dexteras, dicens: *Ego conjungo vos* etc., et signum Crucis super ipsos efformans; vocem *Amen* ipsemet Sacerdos adjungat: hæc Benedictio prima in hoc Sacramento celebrando. Quoniam ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, et non Sacerdos, ideo hæc verba non sunt forma Sacramenti; et hinc ratio petenda, qua Rituale liberum relinquit his verbis uti, vel aliis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Hæc dexterarum conjunctio, quæ conjunctionis animorum symbolum est, non modo est antiquissima in Ecclesia, sed ex veteri Lege originem ducit. (Vide Tob. VII. 15).

Post hæc Sacerdos aspergit sponsos Aqua benedicta.

168. Sequitur *Benedictio annuli*. Etiam ritus hic antiquissimus est, ejusque meminit Tertullianus: Matrimonii unitatem et indissolubilitatem significat; quumque a sponso sponsæ tradatur, pignus simul est amoris perpetui. Hæc annuli Benedictio numquam omitti debet, ne in secundis quidem nuptiis, aut tempore feriato [1].

Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis Matrimoniis, dictâque pro singulis a Parocho formâ *Ego vos conjungo* etc., nihil obstat quominus Benedictiones annulorum et reliqua fiant in communi per verba generalia [2]. In hoc casu in Benedictione annuli unice mutanda est oratio: *Benedic* ✝, *Domine, annulos hos, quos nos in tuo nomine benedicimus* ✝, *ut quæ eos gestaverint, fidelitatem integram*

1) S. R. C. 27 Augusti 1836, n. 2743, ad II.
2) S. Cong. S. Off. 1 Septembris 1841.

suis sponsis tenentes, in pace et voluntate tua permaneant, atque in mutua caritate semper vivant. Per Christum. etc. Preces sequentes et altera oratio nullam exigunt mutationem [1].

Sicubi consuetudo exsistat, ut hæc Benedictio sit omittenda, eo quod sponsi ob suam paupertatem annullum non deferant, S. C. Episcopis commendat, ut consulere velint quatenus ejusmodi ritus numquam omittatur; vel Parochis præcipiendo ut unum annulum secum teneant qui pro tali Benedictione sponsis tradatur, vel eosdem sponsos monendo ut illum saltem ex metallo infimi valoris sibi provideant [2].

Quod sponsus annulum de manu sacerdotis accipit, et non ex bacili assumit, haud caret mysterio. Significat enim ab Ecclesia vinculum matrimoniale sociandum esse, et a Deo, in cujus manu sunt hominum corda, exspectandum esse donum firmi ac perpetui amoris inter sponsos [3].

CAPUT VI.

De Benedictione Nuptiarum.

169. Præter Benedictiones sponsorum et annuli, quæ habentur in Rituali Romano Tit. VII. Cap. II., exstat *Benedictio nuptialis*, quæ habetur in Missali Romano intra Missam *Pro sponso et sponsa,* quæ est postrema inter Missas votivas. Preces huic Missæ insertæ, post *Pater noster* et *Benedicamus*

1) Sacerdos, dum annulum aspergit, submissa voce dicit: *Asperges me* etc. Ita **Martinucci** Op. cit. *Cap. XII. n. 8.*

2) S. R. C. 4 Maji 1882, n. 3548,

3) Cur quarto digito sinistræ manus annulus imponatur, vide, si vacat, penes **Baruffaldum** *Ad Rit. Rom. Tit. XLII. § VI.*

Domino, appellantur proprie *Benedictio nuptialis* [1]. Exoptat sancta Mater Ecclesia, ut contracto Matrimonio, Missa *Pro sponso et sponsa* immediate celebretur, in qua et ipsi sacræ Synaxi participent [2], et hanc suarum nuptiarum Benedictionem accipiant.

170. De hac Benedictione hæc tria certa sunt: *a*) ea nonnisi intra Missam dari potest; id constat ex Rubrica Missalis, et Decreto S. U. Inquis. quod inferius subjicimus; *b*) eadem Benedictio, eaque sola, prohibetur tempore feriato [3]; constat ex Concilio Tridentino Sess. XXIV. *De ref. Matr.* Cap. X. et S. R. C. Decretis; *c*) eadem sponsis dari potest tum immediate post celebratum Matrimonium, tum etiam posterius, quamvis et longum tempus effluxerit, et sponsi simul cohabitaverint; unice excipiendus est casus, quo mulier vidua sit, et jam in præcedenti Matrimonio Benedictionem acceperit [4]. Hoc nunc certissime constat ex Decreto S. R. U. Inquis. die 31 Augusti 1831: « Benedictionem nuptialem, quam exhibet Missale Romanum in Missa *Pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse in Matrimoniis catholicorum [5]; infra tamen Missæ celebrationem juxta Rubricas, et

1) S. R. C. 9 Maji 1893, n. 3798, ad III.

2) S. R. C. 21 Martii 1874, n. 3329,

3) Imo nec Episcopus, dum licentiam concedit celebrandi tempore feriato Matrimonium, concedere potest facultatem conferendi nuptialem Benedictionem. S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3079, ad II.

4) Dari potest etiam in casu quo sponsi intra Missam Communionem non percipiant. S. R. C. 21 Martii 1874, n. 3329.

5) Scilicet, quum ambo contrahentes catholici sunt; nam in Matrimoniis mixtis Benedictio nuptialis et alii sacri ritus nullatenus tolerari possunt: ex Litt. **Gregorii XVI.** 28 Maji 1846. Nunc tamen S. Sedes alicubi Benedictionem indulget; cf. **D'Annibale** *III. 465. 24.* Plura apud **Lehmk.** *II. num. 695.*

extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo Matrimonio quacumque ex cuasa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu in Matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, Benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui Benedictionem sui Matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, Benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii ». Etc.

171. Pro hac Benedictione, Missa communiter dicenda est votiva *Pro sponso et sponsa,* prout exstat in Missali. » Nisi gravis et rationabilis causa adsit, celebranda est Missa *Pro sponso et sponsa,* ac servanda Rubricæ præscriptio quoad Missæ speciem; ita tamen ut Celebranti liberum sit mente sua convertere Missæ fructum in favorem suppeditantis eleemosynam » [1]. Hæc semper est privata; quare sive legatur, sive cantetur, celebranda semper est ut quævis alia Missa votiva privata, nempe absque *Gloria* et *Credo,* cum tribus orationibus, prima ejusdem Missæ votivæ, secunda ac tertia diei curren-

1) S. C. de Prop. Fide, 7 Jun. 1853, 23 Mart. 1844. Cf. S. R. C. 23 Junii 1853, n. 3016, ad I. Ideo sola ratio quod eleemosyna a sponsis non datur, minime excusat a Missa votiva *pro sponso et sponsa,* cum hæc permittitur, celebranda. — Quando plures sponsi eodem tempore concurrunt ad nuptias contrahendas, potestne tuta conscientia Parochus uno eodemque sacrificio pro omnibus satisfacere? — Respondet **Castellani:** Juxta communiorem sententiam, affirmative: dummodo sponsi nihil aliud exprimant. *In Kalend. Veron. 1840,* pag. 75. Contra sentit *Il Monit. Eccles. Ser. I. Vol. VIII. P. I.* pag. 164.

tis [1], *Benedicamus Domino,* et ultimo Evangelio S. Joannis [2].

172. Verum hæc Missa votiva non quibuscumque diebus permittitur. Excipiuntur enim (præter tempus feriatum) omnes dies Dominici et festivi de præcepto, dies omnes quibus occurrat Officium duplex primæ aut secundæ classis, nec non dies infra duas Octavas privilegiatas Epiphaniæ et Pentecostes, hujus posterioris Festi vigilia, dies octava Corporis Christi, aliique dies duplicia secundæ classis excludentes. Integra Octava Corporis Christi excipitur tantummodo ubi ea sit prigilegiata ad instar Octavæ Epiphaniæ. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum hæc Missa votiva non pemittitur; utique vero in duplicibus majoribus non festivis de præcepto, sive sponsi nuper juncti fuerint, sive jamdiu [3].

173. Diebus hisce exceptis dicenda est Missa de die, in qua apponitur collecta ex Missa *Pro sponso et sponsa* post omnes orationes a Rubrica præscriptas et semper sub distincta conclusione, etiam in Festis duplicibus primæ et secundæ classis: si in Missa de die habeantur plures orationes, hæc collecta adjicienda est postremæ sub eadem conclusione; imo si inde dicendæ sint collectæ ab Ordinario imperatæ, etiam hæ sub eadem recitandæ sunt [4]. Tempore Feriato, non modo Benedictio, sed et collecta in Missa occurrente prohibetur [5].

1) Si plures occurrant commemorationes, hæ quoque faciendæ sunt in Missa votiva.
2) S. R. C. 28 Febr. 1818, n. 2582, et 31 Aug. 1839, n. 2798.
3) Rubr. Miss. *Tit. IV. n. 3,* et S. R. C. 18 Aug. 1884, n. 3617. ad I.
4) S. R. C. 20 Aprilis 1822, n. 2619 ad, VI, VII, VIII.
5) S. R. C. 31 Augusti 1839, n. 2797.

174. In hac Missa pro sponsis, sive votiva dicatur, sive de die, recitantur preces quæ Benedictionem nuptialem constituunt. Sacerdos accepto ante initium Missæ manipulo, omnia more consueto peraget usque ad *Pater noster* inclusive. Postquam ad responsionem ministri *Et ne nos inducas in tentationem,* submissa voce dixit *Amen*; genuflectet ad SS. Sacramentum, et se retrahens paulisper in cornu Epistolæ, ne terga vertat Sacramento, se convertet ad sponsos ante Altare genuflexos. Tum, ministro ante ipsum sustinente Missale, manibus junctis clara voce recitabit orationem: *Oremus. Propitiare Domine* etc., et alteram: *Oremus. Deus, qui potestate virtutis tuæ* etc. His completis, ad Altare se convertet, et facta coram SS. Sacramento genuflexione, Missam prosequetur. Iterum ad sponsos absque genuflexione e medio Altari se convertet postquam dixerit *Benedicamus Domino*; quod si dixerit *Ite Missa est,* in eodem situ consistet [1]. Conversus itaque e medio Altari ad sponsos, leget super eosdem orationem *Deus Abraham* etc.

Si eosdem, ut exoptat Ecclesia in Missali, de suis officiis brevi sermone alloqui velit, id immediate faciat. Moneat eos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem; hortetur ut orationis tempore et præsertim jejuniorum ac solemnitatum casti permaneant; et vir uxorem, atque uxor virum diligat; et in timore Dei constanter vivant.

Postea eos aspergat Aqua benedicta, nihil dicens. Iterum ad Altare se convertat, ut dicat *Placeat,* et cetera more consueto prosequatur.

1) Ita quidem **Martinucci**. Verum *Ephem. lit.* non levibus ductæ rationibus censent hanc quoque orationem, et multo magis Sacerdotis allocutionem in cornu Epistolæ habendam esse. 1889 pag. 164.

Quæres 1: Quid agendum, si in eadem Missa plures sint Nuptiæ benedicendæ? — Respondeo: In iis, quæ ad Missam proprie pertinent, nihil mutandum. In altera oratione, quæ super sponsos recitatur, quidam existimant mutandum esse numerum singularem in pluralem, quoties oratio sponsam respiciat, et hoc ex Declaratione S. Inquisitionis, quam sub numero 168 citavimus; alii censent nihil umquam esse mutandum in orationibus Missalis: hisce accensendus De Herdt (*Sacræ Liturgiæ Praxis* P. VI. num. 282). Qui et monitum subjicit: « Licet Christus Dominus cum Matre et discipulis suis nuptiali convivio interesse dignatus fuerit, ob plures tamen rationes dedecet, ut Clerici et præcipue Parochi ad illud accedant, uti per antiquos canones prohibitum fuit ».

Quæres 2: Quid si matrimonium mixtum, ex Apostolica dispensatione, celebrandum occurrat? — Respondeo: Juxta instructiones S. Sedis, hujusmodi matrimonio, Parochus, vel Sacerdos deputatus, debent assistere extra locum sacrum, sine ulla sacra veste et nulla data benedictione vel dicta oratione, sed passive tantum se habere et consensum audire sponsorum. Quod si mala graviora, ex non servato religioso ritu, sint timenda, indulgetur Episcopis quod permittere possint ritum sacrum in Ecclesia, et semper exclusa Missæ celebratione et solemni benedictione nuptiali, et dummodo ne nuptiæ, aut antea aut postea, coram ministello acatholico celebrentur [1].

1) S. C. Inquis. 24 Nov. 1835, 25 Julii 1838, 28 Aug. 1839, et **Pius IX.** Instr. 15 Nov. 1858.

PARS ALTERA

LITURGIA SACRAMENTALIUM

TITULUS I.

DE SACRAMENTALIBUS IN GENERE

CAPUT I.

De natura et divisione Sacramentalium.

175. Nomen *Sacramentalium* latissima patet significatione; quum fere tota ecclesiastica Liturgia, prout a divina distinguitur, ea appellatione comprehendatur. Verum significatione magis propria et usu Theologorum consecrata, Sacramentalia dicuntur « Ritus sacri in similitudinem Sacramentorum ab Ecclesia instituti ad effectus quosdam spirituales producendos » [1].

Ritus heic intelliguntur tum in primis sacræ functiones, utputa Benedictiones, Exorcismi, etc.; tum obiecta quædam sacra, quæ et effectus sint functionis præcedentis, et forte materia sint alterius, ut Chrisma, Agnus Dei, Aqua benedicta; quare habentur Sacramentalia *transeuntia* vel *in fieri*, et Sacramentalia *permanentia* vel *in facto esse*. Similitudo Sacramentalium cum Sacramentis in eo consistit, quod ea quoque generatim propriam habent materiam et formam, ac insuper determinatum exigunt Ministrum, qui nomine Ecclesiæ agere in-

1) Exprimi solent hoc versu: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus*. De natura et effectibus Sacramentalium fuse agit quoad partem dogmaticam **Guill. Arendt** S. J. *De Sacramentalibus* (Ed. alt. Romæ 1900).

tendat. Quod institutio Ecclesiæ requiratur, convenit inter omnes; etenim ab Ecclesiæ tantum voluntate Sacramentalia suam efficaciam mutuantur. Effectus Sacramentalium duo in genere recensetur; cultus nempe divinus, et pia fidelium utilitas; et quidem communiter habetur uterque; per se tamen et primario magis alter, quam primus intenditur; quare isto quoque deficiente, habetur Sacramentale, non item deficiente secundo.

176. Quod Christus Ecclesiæ potestatem contulerit instituendi Sacramentalia, doctrina certissimá est inter catholicos; et, si agatur de iis cæremoniis quæ Sacramenta comitantur, quæque appellantur et ipsæ Sacramentalia, doctrina est de fide [1]. Continetur in ea potestate universali, quam Christus Ecclesiæ contulit suo Vicario per ea verba; *Pasce agnos meos* (Jo. XXI. 15.); quæ, quum sit spiritualis, principaliter ad divinum cultum et ad bonum animarum ordinatur.

Quod ad divinum cultum attinet, Christus Sacrificium quidem Eucharisticum instituit; ceterum, quod varias formas Dei colendi determinandas Ecclesiæ reliquerit, certissimo ex divina Scriptura, doctrinis SS. Patrum et universa ecclesiastica Historia comprobatur. Huc pertinent antiquissimæ cæremoniæ in Sacramentorum administratione servatæ, consecratio Ecclesiarum et Altarium, etc. Item certissimum est Christum dedisse Ecclesiæ potestatem determinandi ac instituendi plura media ad animarum salutem opportuna: hac freta potestate

1) *Conc. Trid. Sess. VII. can. XIII.; Sess. XXI. cap. 1.* Cf. **Perrone** *De Sacram. in gen. n. 169* seqq.

Ecclesia a primis sæculis instituit Aquam lustralem, Exorcismos, plures Benedictiones, etc. [1].

177. Ex dictis, hæc sequuntur: *a)* Potestas instituendi Sacramentalia inest Pælatis Ecclesiæ, h. e. R. Pontifici, et Episcopis dependenter a R. Pontifice. Possunt itaque Episcopi in suis Diœcesibus Sacramentalia quædam instituere, quæ non sint contra universalem Ecclesiæ legem aut consuetudinem; nisi eorum institutionem aut administrationem R. Pontifex aut vetuerit, aut vel sibi vel aliis reservaverit. Hinc fit, ut R. Pontifice saltem tacite consentiente, particulares quædam Ecclesiæ specialia habeant Sacramentalia propriis ritibus conficienda et administranda. *b)* Sacramentalia omnia, etiam quæ modo a solis Episcopis vel a solo R. Pontifice administrari solent, ex voluntate R. Pontificis possent simplici Sacerdoti committi; quum enim hæc sint de jure ecclesiastico, de iis libere disponi potest ab eo qui supremam habet in Ecclesia jurisdictionem. Hinc fit, ut ex facultate Sanctæ Sedis simplices Sacerdotes possint Benedictionem apostolicam impertiri, et Sacerdotes ritus græci possint Oleum infirmorum consecrare; dum invalide hæ facultates concederentur ab Episcopis. *c)* Ecclesia potest Sacramentalia quoad materiam et formam mutare, diversa pro diversis locis instituere, nova approbare: hæc enim omnia ab Ecclesia dependent. *d)* Licet Oratio dominica quandoque inter Sacramentalia recenseatur, proprie tamen non est Sacramentale. Ea enim effectum

1) Cf. **Suarez** *in III. P. S. Thomæ Disp. XV. Sect. II.* Quoad obiectiones Protestantium, vide præterea **Perrone** Op. cit. *n. 177,* et **Knoll** *Instit. Theolog. P. IV. § 521.*

habet impetrandi non quasi fiat Ecclesiæ auctoritate, sed ex privata fidelium recitatione, cui ex Christi voluntate specialis adnectitur efficacia [1].

178. Quæres, qua de causa hujusmodi ritus nomen Sacramentalium acceperint? Respondeo: 1.° Quia ab initio veniebant hoc nomine ritus et cæremoniæ ab Ecclesia institutæ in administratione Sacramentorum; unde et dicta sunt *accedentia Sacramentorum*. 2.° Quia cum Sacramentis aliqualem habent analogiam, et quidem multiplicem: *a*) ratione institutionis. Ut Sacramenta exigunt institutionem Christi, ita Sacramentalia institutionem Ecclesiæ; *b*) ratione essentiæ. Ista enim quoque determinatam exigunt materiam et formam, et determinatum Ministrum; *c*) ratione modi operandi, seu efficaciæ. Sicut Sacramenta effectum habent ex opere operato, ita et Sacramentalia non ex solo opere operantis, sed quodammodo ex opere operato suum habent effectum. Sicut in Sacramentis principalis agens Christus est, ita in Sacramentalibus Ecclesia; unde sicut in illis indignitas Ministri valori Sacramenti non obstat, ita in istis ea non obstat efficaciæ Sacramentalis.

179. Sacramentalia multipliciter dividuntur:

a) Ratione causæ finalis, alia sunt ordinata in cultum divinum, alia immediate in utilitatem fidelium. Ex illis quædam sunt in se actus cultus, ut cæremoniæ Sacramentorum; alia ad illum disponunt, ut Altarium consecratio; alia sunt ejusdem cultus instrumenta, ut ipsa Altaria, Calices, etc.

1) Cf. **S. Thomas** *Summa theol. P. III. q. 87. a. 3.* et **Suarez** in h. l. *Disp. XII. Sect. II. n. 5.* Et hoc dicatur etiam de eleemosyna ex *Daniele IV. 24.*

Ex istis, alia intendunt bonum fidelium spirituale, ut aspersio Aquæ lustralis, usus Coronæ benedictæ; alia bonum quoque corporale, ut Benedictio comestibilium, et plures Processiones; alia demum expiationem peccatorum, ut Processiones poenitentiales, Exsequiæ etc.

b) Ratione causæ materialis, quædam versantur circa personas, ut Exorcismus, Benedictio Sacerdotis; quædam circa res, ut Benedictiones aquæ, aut palmarum; quædam circa loca, ut consecratio Ecclesiæ.

c) Ratione accidentium, sunt vel universalia, vel localia; item perpetua, vel temporanea; de præcepto, vel de consilio.

d) Ratione causæ efficientis, seu Ministri, alia sunt propria Romani Pontificis, alia Episcoporum, alia Parochorum et Sacerdotum; quædam denique sunt, quæ dici possunt omnibus fidelibus communia. De hac divisione fusius in capite III.

e) Demum, ratione modi existendi, quædam sunt transeuntia, seu in fieri, quædam permanentia, seu in facto esse; ut supra vidimus.

Nos sequemur partitionem apud auctores communem, et in ipso Rituali fundatam. Agemus scilicet ex ordine: *De Benedictionibus, de Processionibus, de Exorcismis, de Agendis Defunctorum.*

CAPUT II.

De effectibus Sacramentalium.

180. Quamvis, ratione modi operandi, maxima habeatur analogia inter Sacramenta et Sacramentalia, maxima tamen habetur differentia quoad

effectus. Effectus nempe Sacramentorum est collatio gratiæ sanctificantis, cujus auctor est ipse Christus auctor Sacramentorum. Profecto hanc gratiæ efficaciam non potest Sacramentalibus communicare Ecclesia : verum quum ipsa sponsa Christi sit, quam Christus adeo dilexit, ut seipsum tradiderit pro ea [1], efficacissimam penes divinum Sponsum habet vim impetrandi, quam ipsamet Sacramentalibus communicavit. Hinc licebit aliqualem vim *ex opere operato* Sacramentalibus asserere, vim scilicet impetrandi auxilia gratiæ actualis, non conferendi : hæc impetratio est effectus primus et immediatus Sacramentalium, qui aliquatenus certus dici potest, et independens a dignitate tum Ministri, tum subiecti. Hinc est quod oratio Sacerdotis peccatoris, in quantum a Sacerdote profertur in Missa et in aliis ecclesiasticis officiis *in persona Ecclesiae*, cujus est Minister, fructuosa est, licet fructuosæ non sint ejus orationes privatæ [2].

181. Præter hunc effectum immediatum et omnibus Sacramentalibus communem, alii recensentur, qui mediati sunt, et proprii singulorum, de quibus plura disputant Doctores. Non loquimur de effectu veluti connaturali Sacramentalium, excitandi memoriam beneficiorum Dei, intelligentiam veritatum fidei, pios sensus devotionis erga Deum, etc: loquimur de iis qui sint quodammodo *ex opere operato*, seu cum ritu sacramentali conjuncti ex speciali virtute illi addita per institutionem Ecclesiæ.

1) *Eph. IV.* Cf. Card. **Franzelin** *De Ecclesia Thesi XVIII.*
2) **S. Thom.** *P. III. q. 82. a. 6.* Idque si valet pro Sacramentalibus, quæ in oratione consistunt, seu invocativis, multo magis obtinet in iis quæ constitutiva sunt, quas quidem oportet certo vim habere operandi quod significant, seu deputandi personas vel res ad ministerium et cultum divinum.

182. Primus effectus videtur esse excitatio in animo alicujus boni motus gratiæ actualis, *quasi ex opere operato*. Hic effectus non ita intelligitur, quatenus Sacramentale ex efficacia sua, sive physica, sive morali, motum gratiæ excitet in subiecto ; sed quatenus per impetrationem Ecclesiæ Sacramentalibus adnexam specialis motus gratiæ a Deo confertur. Ita in Ecclesia consecrata, ratione consecrationis censetur Deus specialiter adsistere ad fidelium preces exaudiendas, vel ad devotionis sensus in eis excitandos [1].

Item *quasi ex opere operato* videtur esse efficacia quorumdam Sacramentalium coercendi et expellendi dæmones. Certe specialem in dæmones potestatem Christus tradidit Ecclesiæ, qua ipsa utitur, et semper usa est in Exorcismis, in usu Aquæ benedictæ, signo Crucis, etc. Accedit vis impetrandi fundata in sanctitate Ecclesiæ, cujus nomine agit minister: quinimo si agatur de signo Crucis, et invocatione Nominis Christi, adesse quoque videtur efficacia veluti connaturalis in dæmones, qui vel inviti coguntur virtutem Christi et credere et pertimescere.

Tertius effectus Sacramentalium potest esse assecutio alicujus boni temporalis, quum et ad hæc bona impetranda Ecclesia Sacramentalia quædam instituerit. Verum realis horum bonorum consecutio iisdem alligata est conditionibus, quibus generatim subiicitur boni temporalis impetratio ; ad hujusmodi enim bona precibus nostris primario et per se concedenda Deus in novo Testamento nunquam

1) Hoc sensu intelligenda esse videtur doctrina **S. Thomæ** *P. III. q. 87. a. 3.*

suam fidem obligavit. [1] Accedit, sive quoad istum, sive quoad alios effectus Sacramentalium, quod licet impetratio ex parte Ecclesiæ et certa et efficacissima sit, ejusdem tamen acceptatio divino beneplacito relinquitur; et proinde hi effectus mediati in subiecto, licet rite disposito, nunquam certi esse possunt.

183. Verum quæstio potissima movetur circa remissionem peccatorum venialium: utrum nempe, et quo sensu ea possit esse effectus Sacramentalium. Non desunt auctores qui velint Christum dedisse Ecclesiæ potestatem instituendi ritus quosdam in remissionem peccatorum venialium [2]; hac autem potestate Ecclesiam usam esse in institutione Aquæ lustralis colligunt ex Canone Alexandri I. *De consecr. d. 3 can. « Aquam. »* In hac opinione remissio venialium esset effectus immediatus et hujus et quorumdam aliorum rituum omnino *ex opere operato*. At sententia communior et verior tenet hunc quoque effectum procedere ex Sacramentalibus mediante Ecclesiæ impetratione, et proinde nec infalliBiliter, nec proprie *ex opere operato*. Ratio hujus sententiæ duplex est: *a*) non constat Christum hanc potestatem Ecclesiæ tradidisse; quum nec verba Scripturæ, nec traditio id clare doceant; *b*) non constat Ecclesiam hac potestate unquam usam fuisse; sive quia Decretum Alexandri I. inter apocrypha rejicitur; sive quia verbum *sanctificare* et *sanctificatio*, quod et in eo Decreto, et in forma Benedictionis occurrit, amplissimam habet significationem. Itaque, juxta hanc sententiam, Sacramen-

1) Ecclesia quoque hujusmodi effectum, magis quam propter se, propter spirituales intendit.

2) **Victoria, Soto, Ledesma, Canus** et alii.

talia dici possunt remittere venialia, quatenus in suscipiente pios motus excitant detestationis illorum ; et hoc non modo obiective, sicut cruces, bona exempla, etc., sed etiam impetratorie, prout fiunt nomine Ecclesiæ, quæ majorem habet vim impetrandi, quam persona particularis. Patet quod in hac sententia dici potest esse *quasi ex opere operato* impetratio Ecclesiæ, aut ad summum gratia actualis, qua hi motus indeliberati excitantur ; at nullatenus dici potest *ex opere operato* ipsa remissio venialium ; causa enim remissionis est libera eorumdem detestatio ; hæc autem est *opus operantis*, qui utique gratiæ cooperatur. Hæc videtur esse doctrina S. Thomæ, qui docet : « Per prædicta (aspersionem Aquæ benedictæ, Benedictionem episcopalem, etc.) tolluntur peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis, tum etiam virtute caritatis cujus motus per prædicta excitantur » [1].

Quintum denique effectum eodem in loco indicat Doctor Angelicus, nempe remissionem pœnæ debitæ peccatis : « Reatus pœnæ remittitur per prædicta secundum motum fervoris in Deum, qui per prædicta excitatur quandoque magis, quandoque autem minus. »

Præter hos effectus, qui immediate sunt in bonum fidelium, adest quoque effectus pluribus et forte omnibus Sacramentalibus communis, ut ad cultum Dei mirabiliter conferant. Et sane, præterquamquod

1) **S. Thomas** in *Summa theol. P. III. quæst. 87 a. 3 ad 3* Cf. etiam **Suarez** in *P. III. S. Thomæ. q. 65. Disp. XV. et q. 87 Disp. XII. Sect. II.* **Bellarm.** *Tom. III. L. II. Controv. VI.* **Knoll.** *Instit. theolog. P. IV. § 522, nota 2.* **De Harbe** *Spiegazione del Catechismo Tom. III.* **Arendt** l. c. *Art. IX. 599*, etc.

omnia Sacramentalia sunt actus Religionis, plura ex his ad hunc finem sunt ab Ecclesia instituta, ut *cultus publicus et socialis* Deo per ipsa tribuatur: huc pertinent ea quæ dicuntur *accedentia Sacramentorum*, Processiones in festo Corporis Christi vel cum Reliquiis Sanctorum, lumina, thymiamata, et alia plura.

184. In usu Sacramentalium maxime cavendum est ab omni specie superstitionis, ne quod Ecclesia in bonum animarum instituit, id in earum pernicíem, malitia aut ignorantia hominum, convertatur. Sacerdos itaque, si de Benedictione aut Exorcismo rogetur, prius animum rogantis diligenter perscrutetur; et siquidem effectum quempiam videat intendi ad quem Ecclesia nullatenus sua Sacramentalia instituit, deneget prorsus. Utinam et avaritia ministrorum numquam intersit! Graviter in fautores harum superstitionum succenset Synodus Provincialis Veneta anni 1859 (Cap. XXII. §. 9) [1].

CAPUT III.

De Ministro Sacramentalium.

185. Quum Sacramentalia fuerint instituta ab Ecclesia, ejusque auctoritate conficiantur, ideo Ministri eorum sunt qui juxta Ecclesiæ institutionem fuerint ad hoc ministerium ordinati. Si de iis Sacramentalibus agatur quæ sunt accedentia Sacramentorum, regulariter ille potest Sacramentalia

1) Vide quoque **Berengo** *Enchir. Parochor. P. II. c. I. art. IV.*

ministrare, qui Sacramentum potest ex officio conferre [1]. Quoad reliqua vero, quinam sint Ministri ordinati, determinare non possumus nisi de singulis agentes; communiter sunt Sacerdotes, sive supremi, sive inferiores; quorumdam sunt et laici.

Quædam Sacramentalia adeo sunt propria R. Pontificis et Episcoporum, ut eorum administratio nunquam inferioribus delegetur: ita propria R. Pontificis est Benedictio Agnorum Dei et Rosæ aureæ; Episcoporum propria est quælibet Benedictio in qua sacra unctio requiratur. Rursus, quædam adeo sunt propria R. Pontificis, ut quamvis ipse possit, nunquam deleget; quædam ita propria sunt Episcoporum, ut ipsi nec valeant delegare: dum alia sunt, quæ et ab illo et ab istis delegantur. Ex Sacramentalibus quæ sunt propria muneris sacerdotalis, quædam spectant ad jura Parochorum, quædam vero sunt juris communis: si quodpiam ex illis Sacerdos absque Parochi licentia ministret, illicite quidem, at valide agit; dum si ea peragat, quæ munus superant sacerdotale, agit etiam invalide. Videat ergo quilibet Sacerdos, quæ sui muneris et juris sint, ne falcem in alienam messem immittens, aut peccet, aut fidelium quoque pietatem sua imperitia reddat inanem.

Ad fideles laicos pertinet tum usus quorumdam Sacramentalium permanentium, ut oratio in Ecclesia consecrata, usus Aquæ benedictæ, etc.; tum confectio paucorum Sacramentalium transeuntium, ut signum Crucis.

1) Dixi *regulariter*, et *ex officio*. Nam licet homo quilibet possit in necessitate baptizare, non tamen potest Sacramentalia Baptismi peragere; et in Matrimonio contrahentes quidem Sacramentum conficiunt, Parochus Sacramentalia.

186. Quamvis Sacramentalia ad ordinem supernaturalem ordinentur et aliqua ratione sanctitatem participent, tamen res stricte sanctæ dici nequeunt; eo quod nec a Christo sunt instituta, nec gratiam conferunt sanctificantem. Hinc in iis conficiendis et administrandis, sanctitas Ministri ne ad liceitatem quidem requiritur; ita nullatenus peccat qui reus peccati mortalis aquam benedicit.

E contra, posset quis peccare mortaliter Sacramentalia ministrando contra Ecclesiæ prohibitionem; et si quis ea ministrando aut, exerceat solemniter ordinem quem non habet, aut, solemniter exercendo quem habet, violet censuram, incurrit irregularitatem.

187. Circa vestes, multa habetur varietas pro variis Sacramentalibus. Generatim, pro iis quæ ad Altare non ministrantur, vestes sacræ sunt superpelliceum et stola: « Stola adhibenda est in conficiendis et administrandis Sacramentis, atque etiam in administratione Sacramentalium » [1]. Verum de hac re, ut etiam de ministro inserviente, dicemus propriis in locis.

1) S. R. C. 11 Martii 1871, n. 3237, ad II. Eadem S. R. C. 10 Januarii 1852, n. 2993, ad V, declaravit *rocchettum non esse vestem sacram.* Quare interrogata ab Episcopo Adiacensi: « An tolerari possit Canonicos... uti, juxta veterem Diœceseos consuetudinem, rocchetto mozzetta et stola super mozzettam in administratione Sacramentorum, in Benedictione domorum quæ fit in Sabbato sancto; nec non in aliis Benedictionibus, Processionibus, et associationibus (scilicet in omnibus Sacramentalibus)? » Respondit: « Negative ». S. R. C. 25 Sept. 1882, n. 3556. Attamen Canonicus qui pro usu chorali rocchettum teneat, poterit eidem superimponere superpelliceum et stolam, ex Decreto S. R. C. 12 Julii 1892, n. 3784.

Relate ad materiam et formam Sacramentalium, distinguenda esse videtur pars quæ spectat ad essentiam, ab ea quæ spectat ad accidentia. Generatim inquirendum erit ex natura cujuslibet Sacramentalis quid proprie ad essentiam pertineat: ita in Benedictionibus, ad essentiam pertinebit signum Crucis, aut quandoque aspersio cum Aqua benedicta; in Exorcismis, item signum Crucis cum verbis *Exorcizo te, adiuro te in nomine Jesu Christi.* etc. De hoc quoque erit propriis in locis agendum.

Ritus et formulæ conficiendi ea Sacramentalia, quæ a Sacerdotibus sive ex munere suo, sive ex delegatione, confici possunt (de his enim tantum nobis agendum), extant in Rituali Romano ejusque Appendice approbata a S. Rituum Congregatione: porro nonnisi ritibus et formulis approbatis in Sacramentalibus uti licet [1].

1) S. R. C. 7 Aprilis 1832, n. 2689, ad IV. et 23 Maji 1835, n. 2725, ad IX.

TITULUS II.

DE BENEDICTIONIBUS.

CAPUT I.

Notiones præviæ.

188. Benedicere idem est ac bonum dicere. Hoc autem fieri potest tripliciter: *enunciative, optative, effective.* Benedicit enunciative qui laudat vel commendat, juxta illud: « Benedicam Domino in omni tempore. » Ps. XXXIII. Benedicit optative, qui bonum alteri adprecatur, ut: « Benedictio Domini super vos » Ps. CXXVIII. Benedicit effective qui bonum alteri confert, sive ut causa moralis imperando, sive ut causa physica producendo; hoc modo Deus proprie benedicit, sive immediate juxta illud: « Ego benedicam eis » Num. VI; sive mediate per ministerium aliorum, ut: « Per illum benedixi vobis et liberavi vos: « Jos. XXIV [1]. De tertio modo benedicendi, et præcise de Benedictione Dei per hominum ministerium, nobis agendum est in Titulo præsenti. Quinimo hæc ipsa Benedictio, duplex esse potest: alia quæ datur ab homine quocumque, propter meritum sanctitatis personalis, in quo propterea Christus per gratiam inhabitat;

1) Cf. **S. Thomas** in *Ep. ad Rom. XII. Lect. III.*

hoc modo a fidelibus speciali nota sanctitatis insignibus petimus Benedictionem: alia est, qua Minister Ecclesiæ benedicit, ut Benedictionem, quæ est ex merito Christi, alicui instrumentaliter applicet [1]. De hac proprie nobis erit agendum; nam hæc proprie dicitur *Benedictio ecclesiastica*. Qua ratione hæc suum effectum consequatur, collige ex iis quæ in Titulo superiori disputavimus.

189. Ad validitatem cujuscumque Benedictionis quatuor elementa requiruntur: Minister idoneus, obiectum Benedictionis capax, materia et forma præscripta, applicatio ritus sacramentalis ad obiectum.

a) Potestas benedicendi traditur in sacra Ordinatione Sacerdotis: « Consecrare et sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem; ut quæcumque benedixerint benedicantur, et quæcumque consecraverint consecrentur et sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi » [2]. Hinc patet, non modo laicum, sed ne Diaconum quidem esse unquam Benedictionis ecclesiasticæ Ministrum, quamvis esse possit Minister alicujus Sacramenti [3]; imo nec ipsum Sacerdotem valide eas conferre Benedictiones, quæ sint propriæ ordinis superioris. Verum de his in Capite sequenti.

1) Cf. **S. Thomas** in *IV. Sent. Dist. XIX. quæst. 1. a. 2. sol. 1.* et in *Ep. ad Hebr. VII. Lect. 1.*

2) *Pontif. Romanum. Pars I. Tit. De ordinatione Presbyteri.* De antiquis Benedictionum ritibus agit **Alex. Pelliccia** *De christianæ Ecclesiæ politia L. III. Sect. II. c. 1.*

3) Cf. S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2951, ad IX. et X. 10 Febr. 1888, n. 3684; at contra **Melata** *De Benedictione Papali Cap. I.* pag. 7 (edit. Rom. 1895) et S. R. C. 14 Aug. 1858, n. 3074, ad I. et II.

b) Obiectum potest esse vel persona (proprie subiectum tunc dicitur), vel res. Si est persona, generatim necesse est esse fidelem; si res, esse solidam ac decentem.

c) Communiter materia remota est Aqua benedicta, proxima ejus aspersio; forma est in verbis cum signo Crucis: aliquando tum materia tum forma in simplici signo Crucis consistit, quæ est « omnium fons benedictionum, et omnium gratia gratiarum » [1]. Patet invalide conferri Benedictionem si materia aut forma ab Ecclesia præscripta in substantialibus mutetur; hinc: « Illi soli libri sunt adhibendi, et in illis tantum Benedictionibus, quæ Rituali Romano (ejusve Appendici approbatæ) sunt conformes » [2].

d) Ut Benedictio valide conferatur, necesse demum est eam ad suum obiectum applicari; ad hoc vero requiritur tum obiecti moralis præsentia [3], tum intentio Ministri: ad utramque partem aptanda sunt principia quæ a Theologis statuuntur pro administratione Sacramentorum.

190. Ad liceitatem cujuscumque Benedictionis attendendæ sunt regulæ generales, quæ habentur in Rituali Tit. VIII. Cap. 1. n. 2-7.

Itaque 1° Vestes quandoque in Rituali aut in Missali pro quavis Benedictione determinantur; alioquin applicanda est regula generalis quæ in Rituali habetur n. 2: « Sacerdos saltem superpel-

1) **S. Leo M.** *Serm. VIII. De Passione.*

2) S. R. C. 7 Aprilis 1832, n. 2689, ad IV, 23 Maji 1835, n. 2725, ad IX.

3) Ideo nulla est benedictio quæ datur in distans, cui tamen legi præsentiæ non ligatur R. Pontifex. Cf. **Melata**. l. c. pag. 190, seqq.

liceo et stola pro ratione temporis utatur. » Superpelliceum profecto præscribitur ; quod proinde ab omnibus Sacerdotibus benedicentibus assumendum erit, etiam a Canonicis. Verum si Benedictio detur extra Ecclesiam, et absque incommodo superpelliceum haberi non possit, puta in benedicendo infirmo, licebit absque illo, imo et absque ulla sacra veste Benedictionem largiri. Item et præscribitur stola, ut patet tum ex Rituali, tum ex Responso S. R. Congregationis superius allato n. 187. In Benedictione quæ detur separatim a Missa, stola *regulariter* respondeat colori officii illius diei. Dixi *regulariter :* nam duo casus excipiendi esse videntur : *a*) si in Benedictione habeantur Exorcismi, adhibenda est stola coloris violacei ; *b*) si Rituale pro quapiam Benedictione stolæ colorem determinet, hæc erit adhibenda, etsi non respondeat officio [1].

Pro quibusdam Benedictionibus præscribitur etiam pluviale [2] ; quæ de stolæ colore adnotavimus, eadem et ad pluviale referenda sunt.

Rubrica præscribens usum vestium sacrarum certe est præceptiva : nemo tamen ejus obligationem urgebit ultra quam auctores Theologiæ moralis eam urgeant pro administratione Sacramentorum. Hinc dura forte videbitur opinio Catalani sic generice expressa : « Non dubito quin peccati etiam lethalis reus esset Sacerdos, si communibus tantum

1) Sed aliquando ipsa Benedictio determinat colorem, v. g. album in benedicenda imagine vel corona B. M. V. aut Confessorum vel Virginum, rubeum si benedicitur imago Martyris etc.

2) In Altari, Benedictiones fiunt cum pluviali, vel, eo deficiente, cum amictu, alba et stola. *Rub. Missal. Tit. XIX. n. 3, 4.*

vestibus indutus hujusmodi ecclesiasticas Benedictiones peraget » [1].

2.° Sacerdos benedicat stans, et capite detecto. Nec sedens benedicat, quia orat; nec genuflexus, quia sacrum ministerium in bonum fidelium exercet; sed stans, medius scilicet inter Deum et homines. Item ob reverentiam in Deum, a quo bonum aut personæ, aut rei adprecatur, detecto capite benedicat.

3.° In principio cujuscumque Benedictionis dicat: *Adiutorium nostrum* etc. et *Dominus vobiscum*. Videlicet in iis formulis benedicendi in quibus nullum ponitur initium, hoc veluti præambulo utatur semper: in illis vero quæ aliud habent initium, puta hymnum *Veni creator,* prædictos versiculos omittat. Aptissime præmittit versiculum *Adiutorium nostrum* etc. ex Psalmo CXXIII. desumptum, per quem protestatur se suæ Benedictionis efficaciam repetere ex divino auxilio et ex nomine Dei, in quo omnis fiducia nostra consistit.

4.° Oratio propria (vel plures) spectat communiter ad validitatem Benedictionis; item aspersio cum Aqua benedicta; thurificatio vero, ubi præscribitur, pertinere videtur ad decorem [2]. Aspersio fit nihil dicendo, nisi aliter in propriis locis notetur; res vero, aut persona ter aspergitur, in medio, a parte sinistra benedicentis, demum a parte dextera. Idem in thurificatione servetur; in qua præterea nihil umquam dicitur.

5.° Regulariter quælibet Benedictio ministrum inservientem exigit, cujus sit deferre vas Aquæ

1. **Catal.** in *Rit. Rom. Tomo II. Tit. VIII. Cap. I. § II.*
2) Ubi propria non suppetit approbata formula, adhiberi ea potest quæ in Rit. Rom. inscribitur: *Benedictio ad omnia.*

benedictæ cum aspergillo, et Rituale vel Missale, et ad preces Sacerdotis respondere. Si et incensatio præscribitur, adsit et alter minister, qui thuribulum deferat cum navicula incensi. Uterque veste talari et cotta sit indutus.

6.° Sedulo quoque notetur monitum Ritualis: « Caveat (Sacerdos) ne Benedictionis causa ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta; sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam commodo loco paratam » [1]. Hoc monitum auctores extendunt ad quamcumque rem benedicendam.

191. Quæres: Quid censendum de formulariis quarumdam Benedictionum, quæ passim adhibentur, licet non fuerint a S. Congregatione approbata, ut puta formula benedicendi vestes confratrum SS. Sacramenti?

Respondeo: Hæc habentur penes Scavini: « Si hi libri nihil inusitati vel indigni habeant, sed pia referant, et insuper præferant ordinariam ecclesiastici Superioris approbationem, privatim possent usurpari, v. gr. ad dandam private Benedictionem, sicut alii libri » [2]. Num hæc possint huc referri, alii viderint. Certe præ oculis habendum est Decretum quod extat ante Indicem Librorum prohibitorum; quo inter cetera prohibentur novae editiones librorum liturgicorum a S. Sede approbatorum, in quibus aliquid immutatum fuerit [3].

1) *Rit. Rom. Tit. VIII. cap. I. n. 7.*

2) **Scavini** *Theol. Mor. L. IV. n. 390*; apud quem, quum excludatur casus *Liturgiæ publicæ*, etiam casus exempli allati videtur exclusus.

3) Index Libr. proh. (edit. noviss.) Decr. *De prohibitione Librorum. C. VII. n. 18.*

CAPUT II.

Divisiones præcipuæ Benedictionum.

192. Benedictiones ecclesiasticæ multipliciter dividuntur.

1.° Ratione finis vel effectus, aliæ sunt invocativæ, aliæ constitutivæ. Invocativæ sunt illæ, per quas divinum nomen invocatur super homines vel res, ut Deus sua benedictione bona tribuat sive temporalia, sive præsertim spiritualia hominibus, aut immediate, aut mediate per res; quin tamen conditio pristina sive hominum, sive rerum mutetur: talis est Benedictio infirmi, puerperæ, seminum, domus, etc. Constitutivæ sunt illæ, per quas sive homines, sive res a pristino statu in novum veluti transmutantur per dedicationem ad divinum cultum, et ingrediuntur ordinem personarum vel rerum sacrarum: « Ex hoc enim quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam divinum » [1].

Patet notionem veram Sacramentalium perfectius competere Benedictionibus constitutivis, quam invocativis; et personis ac rebus constitutive benedictis deberi specialem reverentiam, quæ non debetur benedictis invocative [2]. Quæ vero benedicuntur constitutive in triplici ordine esse possunt: Quædam ita benedicuntur ut suo novo statu aliquid sacrum significent; sic Cereus benedictus significat

1) S. **Thomas** *Summa Theol. 2. 2. q. 99. a. 1.*

2) Ita Aquæ benedictæ ad aspersionem debetur reverentia, quæ non debetur aquæ benedictæ ad usum Sacrificii eucharistici.

Christum. Quædam benedicuntur, ut immediate apta fiant ad cultum divinum et ad officia religiosa; ita Clerici, Abbates, Ecclesiæ, Altaria, Vasa sacra, etc. Quædam benedicuntur, ut ad Sacramenta, vel ad alia Sacramentalia conficienda ordinentur; ut Aqua sive lustralis, sive fontis baptismalis, Chrisma, Olea sacra, etc.

193. Ratione subiecti vel obiecti, Benedictiones aliæ sunt personales, aliæ materiales: illis benedicuntur personæ (subiectum), his et animalia et res inanimatæ (obiectum).

Ratione formæ, aliæ sunt verbales, aliæ reales. Illæ consistunt in verbis et signis Crucis; hæ præterea exigunt usum alterius Sacramentalis permanentis: sic Benedictio Campanæ fit Oleis sacris, Benedictio Palmarum Aqua lustrali et incenso, etc. [1].

Ratione ritus, dividuntur Benedictiones in solemnes, et privatas; prout fiunt cum pompa, ministris adsistentibus, etc., vel tantummodo privatim unico ministro, vel etiam absque ministro.

194. Maximi momenti est Benedictionum distinctio ratione Ministri. Certum est ex dictis Benedictionem, quæ sit vere sacramentalis, exigere in Ministro ordinem sacerdotalem: at pro diversa sacra hierarchia diversæ habentur Benedictiones. Aliæ nempe sunt papales, aliæ episcopales, aliæ mere sacerdotales: item tum ex prioribus, tum ex secundis, aliæ sunt quæ possunt et solent Sacerdo-

1) Alio modo hanc divisionem tradit Card. **D'Annibale** *Summ. Theol. mor. L. I. 90 n. 13* (ed. Rom.) seu ipsi, verbales sunt illæ ex constitutivis in quibus sacra unctio non adhibetur, reales in quibus hæc unctio adhibetur; hinc diversitas quoad theoriam est mere verbalis.

tibus delegari; aliæ quæ delegari aut non possunt, aut saltem non solent.

Papales sunt illæ Benedictiones, quarum Minister est solus Romanus Pontifex; ex his vero quasdam summus Pontifex nunquam delegat (quamvis utique posset), ut est Benedictio Rosæ aureæ, Agnorum Dei, Palii etc.; quasdam vero delegat et Episcopis, et simplicibus quoque Sacerdotibus, ut est Benedictio super populum, aut Benedictio apostolica in articulo mortis, etc.

Episcopales sunt illæ Benedictiones, quarum, sic volente Ecclesia, Ministri sunt tantum Episcopi: istæ in Rituali dicuntur simpliciter reservatæ. Ex his triplex est classis. Benedictiones illæ reales, in quibus adhibenda sit sacra Unctio, item Benedictiones earum rerum, quæ nonnisi ut benedictæ possunt esse materia alicujus Sacramenti, ita sunt propriæ Episcoporum, ut Episcopi non possint ad eas simplices Sacerdotes delegare, nec unquam Episcopis concedatur facultas delegandi; tales sunt Consecratio Calicis vel Altaris, Benedictio sacri Chrismatis aut Olei infirmorum, etc. Benedictiones earum rerum, quæ immediate ad Sacrificium eucharisticum ordinantur, sunt et istæ adeo episcopales, ut Episcopus non possit suo jure Sacerdotes ad easdem delegare; delegandi tamen privilegium facile a S. Sede concedatur [1]. Benedictiones rerum, quæ ad usum et decorem Sacrificii ordinantur mediate, ut puta Benedictio Ecclesiæ vel Oratorii (absque sacra Unctione), vel rerum quæ sunt ad usum fidelium (positæ tamen sunt inter reservatas), sunt quidem episcopales, sed ita ut Episcopus

1) S. R. C. 16 Maji 1744 n. 2377. ad IV, V. et 2 Apr. 1875. n. 3343. Cf. **Bened. XIV.** *Notif. XXI 10.*

possit suo jure Sacerdotes ad easdem delegare. Patet agere et illicite et invalide Sacerdotem, qui, absque legitima delegatione, Benedictionem ordinis superioris largiri præsumat.

Inter Benedictiones sacerdotales, triplex admittenda est classis : quædam sunt propriæ quorumdam Ordinum religiosorum, quædam spectant ad Parochos, quædam tandem sunt omnibus Sacerdotibus communes. Primæ exhibentur tanquam tales in Rituali ejusve Appendice ; ac ita sunt eorumdem Ordinum propriæ, ut si quis Sacerdos sæcularis, aut etiam regularis alterius Ordinis, imo et Episcopus [1] eas conficeret absque facultate legitime accepta vel a S. Sede, vel a Prælatis eorumdem Ordinum, ageret saltem illicite. Spectant ad Parochos Benedictiones illæ, quæ in Missali aut Rituali dicuntur faciendæ a Parocho, vel alio Sacerdote : in hoc enim casu subintellecta semper habetur clausula, quod ab alio Sacerdote fiant *de licentia* Parochi. Ejusmodi sunt etiam illæ Benedictiones, quas aut juris esse parochialis, aut ad Parochos pertinere Sancta Sedes declaraverit ; ut est Benedictio nuptialis, Benedictio fontis baptismalis, etc. [2]. Hæ ita sunt propriæ Parochorum, ut simplex Sacerdos eas sine licentia Parochi conficiens, possit utique plus minusve peccare, valide tamen certe conficiat.

Nos agemus de illis tantum Benedictionibus, quæ, sive ex jure ordinario, sive ex delegatione, conferri possunt a Parochis ceterisque Sacerdotibus ; de iis nempe, quæ in Rituali Romano ejusve Appendice continentur.

1) S. R. C. 2 Dec. 1881. n. 3533, ad III.
2) Cf. Decr. S. C. R. 12 Jan. 1704, n. 2123, ad VI et S. C. C. 2 Junii 1883.

CAPUT III.

De Benedictionibus R. Pontifici reservatis.

195. Benedictiones, quæ nonnisi ex R. Pontificis facultate possunt simplici Sacerdoti delegari, quatuor sunt; nempe: Benedictio super populum, Benedictio apostolica in articulo mortis, Benedictio super populos et agros, et Benedictio coronarum, crucium, numismatum, etc. De singulis ex ordine.

196. A. **Benedictio super populum.** — Antiquitus Episcopus dumtaxat poterat Benedictionem super populum largiri, juxta Canonem «*Ministrare*» XXVI q. VI: « Benedictionem quoque super populum in Ecclesia fundere Presbytero penitus non licebit. » Imo nec in fine Missæ Sacerdos benedicebat, sed Episcopus tantum, vel, in ejus absentia et ex ipsius jussu, Archipresbyter [1]. Progressu temporis, probante saltem tacite Ecclesia, inductum est ut Sacerdos tum in fine Missæ, tum post administratam SS. Eucharistiam, benedicat fidelibus jure suo; imo consuetudine satis invaluisse videtur, ut Sacerdos, post alias quoque functiones ecclesiasticas, Altare conscendens populo cum signo Crucis benedicat per ea verba: *Benedictio Dei omnipotentis* etc. [2]. Porro si adsit consuetudo, eam retineri posse declaravit S. Rituum Congregatio [3].

1) Vestigium adhuc habetur in Rubrica Missalis *Ritus celebrandi Missam Tit. XII n. 3.* Vide **Bened. XIV** *De Sacrificio Missæ L. II. Cap. XXIV n. 5.*

2) Hac de causa Sacerdos recitans publice Rosarium, Novendiale, aliasve preces, potest præter cottam assumere et stolam coloris convenientis; ut nempe post eas preces Benedictionem largiatur.

3) S. R. C. 27 Aug. 1836. n. 2745. ad IV.

197. Verum extat specialis Benedictio super populum, quam nonnisi accepta a Summo Pontifice facultate largiri licet; quippe nomine R. Pontificis conceditur, propriosque inde habet effectus, eosdem nempe quos Benedictio Romæ ab ipso Pontifice largita.

Hujus Benedictionis facultatem Romani Pontifices primitus concedere solebant Prælatis Ordinum religiosorum, eo quod monachi et moniales haud possent Romam accedere: posterius concedi cœpit Sacerdotibus etiam sæcularibus in favorem præsertim sacrarum missionum; nunc facile conceditur Sacerdotibus post peractum quemlibet cursum sacrarum concionum in Adventu, aut Quadragesima, etc., et in favorem tum Ordinum religiosorum, tum Tertiariorum eorumdem.

Id tamen est notandum, quod quamvis Benedictiones papales plures existant, v. gr. super populum, in articulo mortis, in fine missionum, etc. ea stricte talis est quæ dicitur *super populum*, quippe quæ datur ab Episcopo vel a Sacerdote (sed ab hoc rarius) [1] in persona et vice Papæ, ac si a R. P. Romæ daretur. E contra ceteræ, dantur utique ex delegatione Pontificia, sed ita ut Benedictiones, juxta qualitatem delegati, sint Episcopales vel Presbyterales et habeant adnexam plenariam indulgentiam, quæ est obiectum proprium delegationis a R. Pontifice factæ. [2]

Formulæ hujus Benedictionis olim variæ fuerunt, donec Benedictus XIV, per Encyclicam « *Ex-*

1) Solent Sacerdotes, præsertim Parochi, redeuntes a pia peregrinatione ad Urbem facta, obtinere a R. P. facultatem elargiendi papalem benedictionem una vice suis fidelibus.

2) Cf. **Melata.** l. c. pag. 73, seqq.

emplis prædecessorum » die 19 Martii 1748, unicam omnibus præscripsit. Tempore tamen sequenti iterum novæ quædam formulæ invectæ sunt, præsertim in Ordinibus religiosis, quas recenter Leo XIII omnes penitus abrogavit, præscribens ut formula Benedicti XIV ab omnibus exclusive adhiberetur *sub pœna nullitatis* [1]. Extat in Rituali Romano Tit. VIII cap. 32. Pro Episcopis vero formula specialis statuitur in Litteris Clementis XIII « *Inexhaustum* » Sept. 1762.

Effectus duplex est; alter essentialis, nempe invocatio divini auxilii super populum, quæ invocatio efficaciam habet, non a Sacerdote benedicente, sed a R. Pontifice cujus nomine benedicit; alter est accidentalis, nempe indulgentia plenaria concessa recipientibus eam Benedictionem, dummodo cetera opera in Brevi præscripta adimpleverint. Quamvis hic effectus sit accidentalis, nihil impedit eum intendi primario.

198. Ad hosce effectus consequendos necesse est ea servare quæ in Rituali Romano ex prædicta Encyclica Benedicti XIV relata sunt.

Itaque admoneatur populus de indulgentia concessa, et de operibus ad eam lucrandam in Brevi concessionis præscriptis. Item necesse est, ut Episcopus, vel Sacerdos delegatus, *toties quoties* Benedictionem impertit, populum moneat latino vel vulgari sermone de accepta a S. Sede delegatione:

1) Cf. S. C. Indulg. 22 Martii 1879 *in Coll. auth.* n. 444 et 7 Maji 1882 post n. 444.

Sed hoc valere dicendum est tantum pro Benedictione quæ est *stricte* papalis. In ea vero quæ datur in fine missionum, nulla formula determinata est, sed sufficit signum crucis producere aut manu, aut cum crucifixo, juxta tenorem concessionis, dicendo: *Benedicat vos* etc. Cf. **Melata** l. c. pag. 164.

omissio hujus monitionis invalidam redderet Benedictionem, quamvis necesse non sit ut legantur Literæ apostolicæ [1]. Vestes præscriptæ pro Sacerdote sunt superpelliceum et stola tantummodo; color stolæ respondere deberet officio diei; at in cæremoniali pro Tertiariis S. Francisci a S. Congregatione approbato, et proinde forte etiam generice, præscribitur stola coloris albi. [2]

Formula triplici parte constat. Prior consistit in versiculis prævíis; et recitanda est a Sacerdote ante Altare genuflexo; altera est Oratio ibidem recitanda a Sacerdote stante; tertia est ipsa Benedictio, quæ a Sacerdote stante in suppedaneo Altaris in cornu Epistolæ danda est unico signo Crucis cum forma consueta: *Benedicat vos omnipotens Deus* etc. Ut fideles hanc Benedictionem accipiant requiritur et sufficit præsentia moralis, qualis habetur ex. gr. ex fenestra prospiciente super plateam in qua Episcopus aut Sacerdos Benedictionem largiatur [3].

199. B. **Benedictio apostolica in articulo mortis.** — Ex antiqua praxi Sedis Apostolicæ tribui solebat Episcopis, per literas privatas, facultas impertiendi moribundis Benedictionem pontificiam cum indulgentia plenaria, ad biennium vel trien-

1) S. Congr. Indulg. 30 Iunii 1840. n. 282.

2) Non potest bis in die impertiri Benedictio Papalis. S. R. C. 11 Sept. 1790 n. 2541; neque eodem die et loco (urbe, vel pago) in quo Episcopus eam impertit. Sed hæ prohibitiones respiciunt tantummodo Benedictionem papalem *stricte* talem, non alias. **Melata** l. c. pag. 87.

3) S. C. Indulg. 7 Jan. 1839. n. 266.

nium, juxta variam locorum distantiam [1]. Deinde cum Episcopi plures institerint ut amplior facultas sibi concederetur, et facultas quoque daretur subdelegandi, Benedictus XIV per Constitutionem « *Pia mater* » die 5 Aprilis 1747, Episcoporum precibus annuit, decernendo ut Episcopis omnibus daretur facultas ad tempus, non modo impartiendi hanc Benedictionem, sed etiam delegandi ad hoc munus Sacerdotes sive sæculares, sive regulares, quotquot pro numero animarum necessarios esse judicaverint; simul etiam formulam Benedictionis determinavit, et Rituali adiiciendam esse decrevit [2]. Contigit quod jampridem in simili casu vidimus contigisse; quare Leo XIII iterum *sub pœna nullitatis* formulam benedictinam ab omnibus Sacerdotibus sive sæcularibus, sive etiam regularibus adhibendam esse decrevit [3]. Dicemus ex ordine: de Ministro, de formula, de subiecto.

200. De **Ministro** — Minister debet esse Episcopus a Pontifice delegatus, vel Sacerdos ab Episcopo subdelegatus; secus Benedictio confertur invalide. Circa modum subdelegandi nihil habetur præscriptum; tamen « consultius esset si subdelegatio fieret singulis speciatim et in scriptis » [4]. Facultas jam concessa non expirat morte concedentis sive Pontificis, sive Episcopi; quare, decedente Episcopo, non est opus confirmationem petere

1) De simili indulgentia loquitur **S. Cyprianus** *in Epist. XIII;* eam quoque concessit Joannes VIII iis qui in bello contra Saracenos morerentur. Vide **Baronium** *Ann. eccles.* ad a. 878.

2) In Editionibus quas sequimur habetur Tit. V. cap. 6.

3) Decreto S. C. Indulg. 7 Maji 1882. n. 444.

4) S. C. Indulg. 23 Nov. 1878. n. 440, ad III.

a Vicario capitulari, qui insuper non videtur posse hanc facultatem delegare ex Const. « *Pia mater.* » Quoad moniales, datur pro Confessario ordinario tantum [1]. Chordigeri Franciscales et Salesiani habent privilegium absolutionis plenariae (Benedictionis apostolicae cum indulgentia plenaria) in articulo mortis, adeo ut a quocumque Sacerdote eam possint obtinere [2]. Simili privilegio fruitur Sacerdos qui habeat a S. Pontifice Imaginem Crucifixi pro impertienda Benedictione in articulo mortis : hanc enim consequi potest, etiamsi Imago ab alio Sacerdote ipsi porrigatur, dummodo cetera opera injuncta perficiat [3]. Minister semper debet esse Sacerdos.

Vestes nec a Rituali, nec ab ullo sacrarum Congregationum Decreto determinantur. At ex principiis generalibus videtur adhibendum esse superpelliceum (si facile haberi queat) cum stola coloris violacei, qualis adhibetur in Sacramento Pœnitentiae [4].

201. **De formula** — Ab omnibus adhibenda est formula a Benedictio XIV præscripta, adeo ut etsi, propter defectum libri, ea omittatur, Benedictio non valeat [5].

1) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775. n. 237, ad IX.
2) S. C. Indulg. 22 Martii 1879, n. 444, ad XIII (ad II).
3) **Benedictus XIV** per Decretum 30 Maji 1744.
4) **Catalanus** *Comm. in Rituale Rom.* h. l.
5) S. C. Indulg. 5 febr. 1841, n. 286, ad VIII, et 7 Maji 1882, post n. 444, ad III.

Aliquando indulgentia lucranda in mortis articulo non est *ferenda*, sed jam *lata*, sive *a jure*, ut ea quæ est concessa detinentibus obiectum aliquod, cui adnexæ sunt indulgentiæ apostolicæ, sive *ab homine*, ut ea quæ favore familiæ vel personæ datur a R. P. vel rescripto, vel oretenus et sæpe per telegraphum transmittitur. In his casibus nulla est formula stricte adhibenda.

Tres partes habet: Introductionem, preces, Benedictionem. Introductio per versiculos *Pax huic domui* etc. et aspersionem cum Aqua benedicta certe non est essentialis. In precibus sequentibus cum oratione, adverte ; *a*) mutandum esse genus pro femina infirma ; *b*) confessionem generalem faciendam esse, etsi prius pro Sacramentis Viatici et Extremæ Unctionis jam fuerit præmissa [1]. Benedictio incipit ab iis verbis *Dominus noster* etc., quæ simul cum sequentibus proprie constituunt formulam Benedictinam, et saltem extra casum mortis imminentis omitti non possunt absque periculo nullitatis.

Pro casu, quod mors proxime instans non permittat omnes eas preces recitare, juxta Ritualis Rubricam « Statim Sacerdos ei Benedictionem impertiatur dicendo: *Dominus noster,* ut supra. Et si mors proxime urgeat, dicat: *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo: In nomine Patris* ✝, *et Filii et Spiritus sancti. Amen.* » Hoc quidem sensu intelligenda esse videtur Rubrica Ritualis, ut formula essentialis (in necessitate) contineatur illis verbis *Indulgentiam plenariam* etc. [2].

1) S. C. Indulg. 5 Febr. 1841. n. 286, ad VI. Confessionem facere poterit ipse infirmus, si valet: quod si nullus sit clericus, vel laicus (vir) adstans, qui recitare sciat, recitet ipse Sacerdos nihil mutans. Editor Rescriptorum S. C. Indulgentiarum (Ratisb. 1885) P. Schneider censet recitationem formulæ *Confiteor* spectare ad validitatem, nisi necessitas urgeat. In Indice v. *Benedict.* Pro Regularibus ac Tertiariis addi poterit nomen Sancti fundatoris. — Post precem *Misereatur* censent quidam, et non abs re, omittendam esse aliam *Indulgentiam.*

2) Hac uti etiam licet tempore pestilentiæ aut alterius mali contagiosi ad periculum contagii evitandum, ex responso S. R. C. 8 Martii 1879, n. 3483. Ergo etiam in casu mortis imminentis hæc erit formula certe valida.

202. **De subiecto**, — Capax hujus Benedictionis est fidelis quilibet adultus, non excommunicatus, nec in mortali existens, qui in articulo mortis versetur. Non requiritur per se quod infirmus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiae et Extremæ Unctionis acceperit: imo etiamsi hæc ab incepto morbo, et forte etiam culpabiliter, non susceperit, si tamen verisimiliter cognito vitæ periculo petiisset, hæc Benedictio tribuenda est [1]: satis est quod dari potuerit eidem absolutio saltem sub forma conditionata. At si ille sit excommunicatus, aut in peccato mortali, incapax est Benedictionis et indulgentiæ; quare si de ejus statu *certo constet*, tribui non debet.

Indulgentia huic Benedictioni adnexa ita intelligitur, ut moribundus eam accipiat in vero mortis articulo [2], scilicet eo momento quo mors realiter sequitur; unde quando Sacerdos eam Benedictionem confert, indulgentia usque ad instans mortis manet adhuc suspensa.

Non tamen ad eam conferendam necesse est ut Sacerdos expectet verum mortis articulum impendere; satis est quod judicet prudenter infirmum in periculo mortis versari, adeo ut extrema Sacramenta ei potuerit conferre. Ita ex declaratione S. Congregationis Indulgentiarum in casu quodam determinato; « quam decisionem Eminentissimi Patres ex rei natura pro omnibus ægrotis Christifidelibus in mortis periculo constitutis valere dixerunt » [3].

1) Ex Rit. Rom. n. 1. et S. C. Indulg. 23 Sept. 1775, n. 237. ad V. Dari quoque potest pueris qui defectu ætatis Communionem necdum acceperunt, at judicantur *potuisse* peccare. S. R. C. 16 Dec. 1826, n. 2650. Imo et damnatis ad mortem. S. C. de Prop. Fide 10 Augusti 1841.

2) S. C. Indulg. 23 Aprilis 1675 n. 9, ad I et 12 Junii 1884.

3) S. C. Indulg. 19 Decembris 1885.

Qui eodem mortis periculo, imo vel eadem infirmitate permanente, Benedictionem apostolicam acceperit, omnino incapax est eam iterum accipiendi. Quare etsi infirmitas diuturna sit, aut plures adsint Sacerdotes qui habeant facultatem impertiendi, aut infirmus ad eam obtinendam ex diversis titulis jus habeat, *nunquam* in eadem infirmitate Benedictio poterit iterari. Ita ex natura hujus Benedictionis, et pluribus S. Congregationis Decretis [1]. Quinimo etsi infirmus post eam Benedictionem acceptam in peccatum sive veniale, sive mortale relapsus fuerit, imo etiamsi eam primo in peccato mortali acceperit, *nunquam* eam licebit iterare [2].

203. Conditiones ad hanc Benedictionem accipiendam ejusque indulgentiam lucrandam determinantur partim ex natura rei, partim ex voluntate Pontificis concedentis. Ex natura rei certe requiritur status gratiæ, aut per confessionem, aut per contritionem perfectam acquisitus. Ex voluntate Benedicti XIV in præfata Const. « *Pia mater* » *a*) requiri videtur, quod infirmus studeat elicere actus caritatis et contritionis, si pro ipsius conditione possibile sit; *b*) certe requiritur, quod infirmus ipsam mortem æquo ac lubenti animo de manu Domini suscipiat: hac de causa Sacerdotes præ oculis habeant monitum ex Constitutione in Rituale

1) S. C. Indulg. 24 Sept. 1838, n. 263, ad II. 5 Febr. 1841, n. 286, ad VII, 12 Junii 1884. Neque licet impertiri pluries infirmo indulgentiam plenariam per Benedictionem papalem in articulo mortis a pluribus Sacerdotibus facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitatibus etc. S. C. Indulg. 12 Martii 1855. n. 362.

2) S. C. Indulg. 20 Junii 1836, n. 257. ad VII, 12 Febr. 1842, n. 300, etc. Certe in opere *Theol. Mor.* **Scavini** L. IV. in notam ad n. 401 error irrepsit (ed. 1890).

relatum n. 3 : « Moribundum instruat ac hortetur (Sacerdos), ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit » ; *c*) si in Brevibus concessionis ad Episcopos mentio fiat de invocatione saltem mentali SS. Nominis Jesu, quamdiu ægrotus est suæ mentis hæc invocatio imponitur tamquam conditio *sine qua non* lucretur indulgentiam [1]. Porro hæc est forma sub qua facultas Episcopis conceditur a Leone XIII : « Quoties aliquem Christifidelem in mortis articulo constitutum esse contigerit, si vere pœnitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, *saltem contritus* [2] *nomen Jesu, ore, si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperit*, toties per Te ipsum, seu per unum aut plures Presbyteros sæculares seu regulares a Te ad Tui libitum delegandos . . . et quoad Moniales illarum Confessarium ordinarium, Apostolicam Benedictionem cum plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia et remissione impertire valeas, facultatem concedimus etc. » Hæc advertant Confessarii, ne moribundi fructibus hujus Benedictionis priventur [3].

1) S. C. Indulg. 23 Sept. 1775. n. 237, ad VII.

2) Nempe *si in statu peccati mortalis versetur*. Cf. responsum S. C. Indulg. 17 Dec. 1870, n. 427.

3) At infirmus ex multiplici capite, v. gr. ratione adscriptionis pluribus confraternitatibus, lucrari potest in articulo mortis plenariam indulgentiam. **Hilgers.** *Manuale d'Indulgenze. P. I.* §. 27.

204. C. **Benedictio Coronarum, Crucium, Numismatum**, etc. — Non loquimur modo de ea Benedictione quæ est propria quorumdam Ordinum religiosorum, nec de ea Crucium Benedictione quæ est inter reservatas Episcopis ; sed de illa quam hujusmodi obiectis Romæ impartitur ipse Pontifex Romanus, et cujus impartiendæ facultatem ipse concedit Sacerdotibus.

Ante omnia, præ oculis habere oportet Instructionem quæ a quolibet R. Pontifice hac de re publicatur, quam heic non inserimus, tum amore brevitatis, tum quia habetur inserta in Appendice Ritualis Romani [1]. Juxta eam Instructionem et sacrarum Congregationum declarationes, dicemus de Ministro Benedictionis, de obiectis benedicendis, de indulgentiis adnexis et modo easdem consequendi.

205. **De Ministro.** — Minister hujus Benedictionis, præter R. Pontificem, non potest esse nisi Sacerdos, qui a R. Pontifice hanc facultatem acceperit. Facultas intelligi non debet ultra proprium sensum verborum ; si data est pro benedicendis Crucibus, non potest extendi ad Numismata vel Coronas, et viceversa ; si concessa est pro mille Crucibus, Coronis, etc. non intelligitur pro mille Crucibus et mille Coronis, sed pro mille *in totum* [2].

Vestes sacræ videntur esse debere consuetæ, quum nihil speciale in Rituali dicatur. Quoad formam, licet in Rituali variæ habeantur formulæ pro benedicendis Crucibus, Coronis, etc., tamen nulla

1) Amori antiquitatis tribui debet quod hæc Instructio inserta non fuerit Rituali sub ea forma qua publicata fuit jussu Leonis XIII die 23 Februarii 1878. (apud **Schneider** *Rescripta auth. S. C. Indulg.* 1885 *Summ.* n. I.)

2) S. C. Indulg. 29 Maji 1841. n. 291.

præscribitur, sive ad validitatem, sive (ut videtur) ad liceitatem. Satis est super rem benedicendam efformare manu dextera simplex signum Crucis, absque ulla pronuntiatione verborum et aspersione Aquæ benedictæ; et hoc, non modo si in Brevi habeatur clausula *in forma Ecclesiæ consueta*, sed etsi ea non habeatur. Verum si in Brevi dicatur Benedictionem dandam esse *privatim*, non licebit dare publice in Ecclesia vel Oratorio coram fidelibus ibidem adunatis [1]; et si dicatur eam esse dandam *de consensu Ordinarii loci*, locus intelligitur ille in quo quis benedicit.

Sacerdos habens a Pontifice hanc facultatem potest etiam benedicere Coronam angelicam in honorem S. Michaelis Archangeli [2].

206. **De obiectis benedicendis.** — Hæc sunt Coronæ, Rosaria, Cruces, Crucifixi, parvæ Statuæ et sacra Numismata. Ex voluntate expressa summi Pontificis, hæc obiecta, ut benedici valeant hac Benedictione, constare debent ex decenti ac *solida* materia: nominatim « excluduntur Imagines typis exaratæ, depictæ, itemque Cruces, Crucifixi, parvæ Statuae et Numismata ex stanno, plumbo, aliave materia fragili, seu consumptibili confecta » [3].

Quare obiecta ex ferro non amplius excluduntur; imo benedici possunt Coronæ et Rosaria sive ex chalibe polito, sive etiam ex vitro seu crystallo

1) S. C. Indulg. 7 Jan. 1843, n. 313, 6 Maji 1852, n. 359.
2) S. C. Indulg. 4 Febr. 1877 apud *Raccolta di orazioni* etc. pag. 276 (edit. 1877).
3) Ita in Instructione prout edita est jussu Leonis XIII 23 Februarii 1877, quam proinde censemus posse tuto in praxim deduci.

solido et compacto [1]. Excluduntur Imagines super chartam sive typis impressæ, sive depictæ manu, aut lapide, aut quavis arte; excludi non videntur Imagines super telam depictæ, quum earum materia satis solida sit, et alioquin, si hæ excluderentur, fere nullæ manerent Imagines benedicendæ [2]. Ut Numismata benedici valeant, referre debent saltem ex una parte effigiem alicujus Sancti III album Sanctorum relati, ex altera referre possunt effigiem alicujus Beati vel summi Pontificis, aut aliquam inscriptionem [3]. Si benedicatur Crux cum Imagine Crucifixi, Benedictio et indulgentiæ cadunt in Crucifixum, et ideo ejus Imago in aliam Crucem poterit transferri [4]. Item in Coronis subiectum Indulgentiæ sunt globuli, non ligatura, quæ ideo alia substitui potest, quin indulgentiæ pereant, etsi globuli permisceantur [5].

207. **De indulgentiis adnexis.** — Per Benedictionem, quam his obiecus conferat Sacerdos legitime delegatus, adnectuntur indulgentiæ eædem, quæ adnecterentur per Benedictionem a S. Pontifice largitam, quarum elenchus habetur in Instrutione citata. Ex his aliæ sunt plenariæ, aliæ partiales; conditiones aliæ sunt utrisque communes, aliæ

1) S. C. Indulg. 29 Febr. 1820, n. 249 et 22 Martii 1839, n. 271. Quare benedici etiam poterunt obiecta ex coralio, alabastrite, margarita, marmore, ligno, ebore, osse, multo magis ex argento et auro; contra, quæ sunt ex gypso, vel vitro insufflatione coacto vel alia materia exclusa, etsi possint benedici, non recipiunt tamen indulgentias. Cf. **Ballerini.** *Op. Th. Mor. Vol. V. De Suffr. et Indulg. n. 40.*

2) Ita forte et Imagines oleographice super chartam depictæ dummodo hæc firmiter telæ conglutinata sit.

3) S. C. Indulg. 22 Dec. 1710, n. 32.

4) S. C. Indulg. 11 Aprilis 1840, n. 281.

5) **Ojetti.** *Synopsis rerum mor. et jur. pontif. v. Rosarium.*

propriæ. Conditio ad quasvis indulgentias lucrandas communis est, quod Christifideles in propria deferant persona aliquod ex prædictis obiectis; aut saltem illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco retineant, et coram eo devote præscriptas preces recitent. Indulgentia plenaria conceditur pro diebus sex et vigint: in eadem Instructione determinatis; opera vero præscripta, præter confessionem, Communionem et preces ad fines consuetos, sunt recitatio Coronæ, aut saltem tertiæ partis Rosarii, aut divini officii, aut officii B. M. Virginis, aut Defunctorum, saltem semel in hebdomada; consuetudo tradendi christianam catechesim, celebrandi vel audiendi Missam, visitandi infirmos in nosocomiis, aut carceratos, opitulandi pauperibus, etc. Item alia habetur indulgentia plenaria in articulo mortis, dummodo infirmus paratus sit obsequenti animo a Deo mortem acceptare, et vere pœnitens, confessus et sacra Communione refectus, et, si id nequiverit, saltem contritus, recitaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS. Nomen Jesu: omnes hæ conditiones spectant ad valorem indulgentiæ. Tamen Crucifixi hoc modo benedicti nullatenus per se valent ad applicandam Benedictionem apostolicam, circa quam provisum est a Pontifice Benedicto XIV in Const. « *Pia mater.* » — Indulgentias partiales omittimus.

Ad lucrandas has indulgentias, sive plenarias sive partiales, non est necesse in recitatione Rosarii vel Coronæ consueta mysteria meditari [1]. Uni eidemque obiecto, puta Coronæ, possunt variæ indulgentiæ applicari; ad eas tamen lucrandas necesse

1) S. C. Indulg. 1 Julii 1839, n. 273.

est iterare ea opera quæ iterari possunt ac solent [1].

Ad alienationem, sive perpetuam, sive temporaneam, horum obiectorum applicanda sunt ea principia, quæ statuimus inferius n. 251. et seqq.

208. Quæres: Si Sacerdos non delegatus hæc obiecta benedicat, nulliusne effectus erit hæc Benedictio?

Respondeo: Distinguatur duplex effectus Benedictionis datæ ex indulto S. Pontificis, alter essentialis, alter accessorius. Benedictio data a Sacerdote non delegato certe habere nequit effectum accessorium, nempe indulgentias in elencho citato recensitas: tamen habere videtur effectum essentialem, scilicet ea obiecta videntur esse valide benedicta, Benedictione constitutiva. Sane: *a*) benedictio horum obiectorum non videtur excedere potestatem ordinis concessam Sacerdoti in sacra ordinatione. Insuper: *b*) quum satis certum sit Crucem benedictam a Sacerdote non delegato esse realiter benedictam [2], idem a pari dicendum esse videtur de sacris Imaginibus, Coronis, etc. [3].

CAPUT IV.

De Benedictionibus reservatis Episcopis.

209. Juxta dicta superius n. 194, nobis agendum non est de illis Benedictionibus constitutivis (seu Consecrationibus), in quibus sacra intervenit Unctio; quippe quæ non sunt Sacerdotibus delegabiles

1) S. C. Indulg. 29 Febr. 1820, n. 249.
2) S. R. C. 12 Julii 1704, n. 2143, ad II.
3) Cf. Dissertat. in *Ephem. Liturg.* a. 1888 pag. 517 et **Arendt.** op. cit. *n. 364.*

ab Episcopo, neque passim a R. Pontifice delegantur. De illis agimus dumtaxat, quas Episcopus potest simplicibus Sacerdotibus delegare.

In Rituali Romano Tit. VIII. recensentur et referuntur Benedictiones hujusmodi undecim a cap. 20 ad 31 inclusive; inter quas tamen habentur Benedictiones duæ minus proprie dictæ, reconciliatio scilicet violatæ Ecclesiæ, et reconciliatio violati Cœmeterii: hisce adduntur in Appendice aliæ Benedictiones faciendae ab Episcopis, vel Sacerdotibus facultatem habentibus. Quoad rem nostram, distinguimus Benedictiones rerum quæ ad Sacrificium Missæ referuntur immediate, Benedictiones rerum quæ ad Sacrificium ordinantur mediate, et Benedictiones varias. De singulis:

210. A. **Benedictiones rerum quæ ad Sacrificium Missæ referuntur immediate.** — Hujusmodi sunt indumenta sacerdotalia, mappæ Altarium et corporalia cum pallis; quarum rerum Benedictiones habentur tum in Missali Romano, tum in Rituali capp. 21, 22, 23; addatur et Benedictio Tabernaculi seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.

211. Quæritur in primis: Num Episcopus ex jure ordinario possit delegare facultatem benedicendi sacerdotalia indumenta, et cetera quæ ad Sacrificium referuntur immediate?

Respondeo: Auctores quidam antiquiores ita sane censuerunt, præsertim ex eo quod hæ Benedictiones in Rituali continentur. Verum nimis decretoria esse videntur duo Responsa S. R. Congregationis: « An Episcopus utendo *ordinaria facultate* possit aliis in dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi sacra indumenta, et alia in quibus juxta Rituale Romanum sacrum Chrisma

non adhibetur ? » — Respondit : « Non posse » [1]. Item : « I. An Episcopi, sive *ex jure ordinario*, sive *ex consuetudine*, omnes Benedictiones descriptas in Rituali Romano et reservatas, in quibus non intervenit sacra Unctio, Sacerdotibus minoribus delegare possint ? — II. An Vicarii Generales, sive ex facultatibus ordinariis, sive ex delegatione speciali, nomine Episcopi istas benedictiones delegare possint ? » Respondit : « Ad I. Negative. Ad II. Provisum in primo » [2]. Sequitur non posse Episcopum sine Apostolico Indulto hanc facultatem delegare, et vi ejusdem Indulti etiam ab Episcopo obtenti, non posse delegationem facere Vicarium Generalem.

Attamen communiter Episcopi impetrant a S. Sede hanc facultatem delegandi. — Quinimo, C. S. O. declaravit omnes facultates habituales in posterum committendas esse Ordinariis Locorum, et hanc declarationem extendi etiam ad facultates antecedenter concessas [3]. Porro inter hasce facultates ea etiam solet esse de qua agimus, et nomine Ordinarii venit quoque Vicarius Generalis, qui ideo nunc, vi Indulti obtenti ab Episcopo, potest delegare facultatem benedicendi sacerdotalia indumenta etc.

212. Qui absque legitima facultate, vel ultra eam benedicat, et illicite et invalide agit ; perpendat itaque Sacerdos delegatus terminos delegationis. Si Parochus, accepta facultate benedicendi paramenta pro sua Ecclesia, benedicat pro aliena, ea paramenta non sunt habenda ut benedicta, nec eis uti licet [4].

1) S. R. C. 16 Maji 1744, n. 2377, ad IV.
2) S. R. C. 2 Aprilis 1875, n. 3343.
3) C. S. O. 20 Aprilis et 23 Junii 1898.
4) S. R. C. 31 Aug. 1867, n. 3157, ad XI. Cf. *Ephem. liturg.* a. 1888, pag. 285.

E contra, facultas concessa benedicendi sacram supellectilem extenditur etiam ad Imagines Sacras, ad Tabernaculum, ad Pyxidem, et generatim ad benedictionem omnium quorumcumque ad divinum cultum spectantium, in quibus non adhibetur sacra unctio [1].

213. Non omnia sacra paramenta sunt de præcepto benedicenda; sed ea tantum quibus Sacerdos in Sacrificio utitur, et forte non omnia. Certe benedicenda sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et casula; nec non corporale cum palla, et mappæ Altaris; cetera possunt benedici, et laudabilius benedicuntur, præter purificatorium, quod non benedicitur omnino [2].

Quidquid olim fuerit, nunc ut hæc sacra paramenta benedicantur, debent esse ex materia præscripta; nempe indumenta Sacerdotis interiora et supellex Altaris ex lino vel cannabe, indumenta superiora ex serico; et etiamsi pro Ecclesiis vere indigentibus toleretur usus paramentorum jam existentium ex vetita materia, nullatenus hic usus toleratur quoad corporalia, purificatoria et pallas [3]. Attenta Ecclesiarum paupertate tolerari quoque potest illud panni genus, quod ex parte superiori et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum in gossypio, lana, vel lino [4].

214. Materia quæ sit omnino prohibita (et prout est prohibita) videtur invalidam reddere Benedictio-

1) S. R. C. 17 Maji 1760, n. 2457.
2) S. R. C. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad XII.
3) S. R. C. 23 Julii 1878, n. 3455, ad II: vide et Monitum 28 Julii 1881 apud *Acta S. Sedis Vol. XIV.* pag. 144.
4) S. R. C. 23 Martii 1882, n. 3543.

nem [1]; at si quæ aliæ habeantur prohibitiones quoad accessoria, videtur illicitus fieri horum paramentorum usus, non eorum Benedictio invalida. Ita reprobantur indumenta coloris flavi vel cerulei, et ea in quibus colores plures permixtim habeantur; sed hæc omnino ad liceitatem dumtaxat referenda esse videntur.

Quando paramenta sacra adeo trita sunt, ut, juxta hominum æstimationem, usui suo nequeant amplius deservire, aut suam formam, brevissimo licet tempore, amiserunt, sunt eo ipso exsecrata; quare prius debent in suam legitimam formam restitui, dein iterum benedici.

215. Huc revocanda est *Benedictio Tabernaculi seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda,* quæ habetur cap. 23: hæc enim Benedictio eodem pacto reservata est ac præcedentes, adeo ut ejus delegatio in delegatione præcedentium comprehendatur [2]. Quæritur: Quid nomine Tabernaculi intelligatur? — Quidam censent intelligi ædiculam sive marmoream, sive metallicam aut ligneam super Altare collocatam, in qua SS. Eucharistia reconditur [3]; plures Pyxidem intelligendam esse volunt. Porro nullibi extat lex quæ dicat ædiculam illam esse benedicendam, et paucissimi sunt auctores qui id affirmant; dum de Pyxide probabilior sententia est eam esse de præcepto benedicendam [4]: formula itaque assignata esse

1) Cf. *Ephem. liturg.* 1890 pag. 154.

2) S. R. C. 17 Maji 1760, n. 2457. Cf. Fumagalli *Manuale seu Prompt. lit. Vol. II.* v. *Pyxis.*

3) **Barufaldus** apud **Berengo** *Op. cit. n. 194.*

4) **S. Alph.** *Theol. mor. L. VI. n. 485.* ex Rubr. Miss. *Ritus serv. in cel. Missæ Tit. II. n. 3.* Ex paritate rationis

videtur pro Benedictione Pyxidis, de cujus materia vide quæ diximus in *Liturgia Sacramentorum* n. 72.

Ceteræ Benedictiones Ostensorii et sacrorum Vasorum, quæ sunt in Appendice, videntur esse referendæ ad classem sequentem, earum nempe quæ sunt certo delegabiles.

216. Sacerdos legitime ad sacra paramenta benedicenda delegatus vestes sacras assumat, superpelliceum et stolam coloris officio diei convenientis; paramenta benedicenda collocare potest super Altare, vel super mensam ad cornu Epistolæ collocatam: secum habeat ministrum cum Missali vel Rituali et vasculo Aquæ benedictæ. Ascendens in cornu Epistolæ, ibi præscriptas preces recitet, efformando signum Crucis quoties Crux precibus inseritur, et caput Cruci Altaris inclinans ad vocem *Oremus* et nomen *Jesu*; dein paramenta aspergat nihil dicens. Formula adhibenda est ea quæ reperitur in Missali, vel Rituali, non ea quæ habetur in Pontificali, et semper recitanda est *prout jacet* [1].

217. B. **Benedictiones rerum quæ ad Sacrificium ordinantur mediate.** — Res huc referendæ sunt nova Crux, sacræ Imagines, primarius Lapis pro nova Ecclesia ædificanda, nova Ecclesia (et consequenter Cœmeterium), Ostensorium pro SS. Sacramento exponendo: huc item spectat reconciliatio tum Ecclesiæ, tum Cœmeterii violati. Hujusmodi Benedictiones certe delegari possunt simplici Sacerdoti ab Episcopo ex jure ordinario: unde et certo valet delegatio, quæ fiat a Vicario generali.

idem dicunt recentes de *Lunula* pro expositione, et *Theca* pro Communione infirmorum. In *Rituali Tit. IX. Cap. 5 n. 2* hoc nomine venit Ostensorium.

1) S. R. C. 4 Sept. 1880, n. 3524 ad II. et III, 2 Dec. 1881, n. 3533, ad I.

218. **Benedictio novæ Crucis.** — Non cujuscumque Crucis Benedictio et reservata; sed illarum tantum, quæ sunt ad usum publicum destinatæ, exponendæ nempe in Cœmeterio, in fastigio Ecclesiæ, in Ecclesia ad specialem populi devotionem [1], in plateis occasione Missionum, etc. Quæ sunt ad usum privatum benedici possunt a quolibet Sacerdote ex facultate ordinaria, eâ formulâ breviori utendo, quam modo exponimus ex Rituali. Proprie de prioribus agimus.

Ad has Cruces valide benedicendas, præter delegationem ab Episcopo, vel ejus Vicario, requiritur usus formulæ in Rituali præscriptæ. Porro hæc duplex est; alia communior et brevior [2], in Rituali Tit. VIII. cap. 24, alia solemnior in Appendice. Vestes pro priori sunt superpelliceum et stola coloris officio die convenientis; pro altera, præter superpelliceum, requiritur stola cum pluviali coloris rubri: in illa unicus sufficere potest minister, qui respondeat Sacerdoti et vasculum deferat Aquæ benedictæ; in hac requiruntur clerici qui fimbrias pluvialis sustineant, et alii qui deferant vasculum Aquæ et thuribulum. Patet hanc alteram formulam præferendam esse quando coram fidelibus benedicitur Crux ab iisdem insigni veneratione colenda. Adverte demum hac Benedictione Crucem benedici,

1) Crux quæ ponitur super Altare ad usum Sacrificii, et Cruces processionales non sunt de præcepto benedicendæ, sed a quocumque Sacerdote benedici possunt privatim et non solemniter. S. R. C. 12 Julii 1704, n. 2143. Tum has Cruces, tum imagines benedicendas de præcepto, poterit et per simplex signum Crucis benedicere.

2) Neutra oratio omitti debet, nec adoratio Crucis de qua in sequenti Rubrica. S. R. C. 4 Sept, 1880, n, 3524, ad IV.

non Crucifixum; de cujus Benedictione mox erit dicendum.

219. **Benedictio Imaginum Jesu Christi, B. Mariæ V. et Sanctorum.** — Quoad Imagines quoque, reservatur earum dumtaxat Benedictio quæ sint publice exponendæ [1]. Formula unica habetur in Rituali cap. 25: circa materiam, videntur præ oculis habenda quæ generatim sancta Sedes pro simili casu præscripsit in Instructione, cujus summam exhibuimus n. 206. Agitur heic de illis Imaginibus quæ super Altare exponendæ sunt, et repræsentare debent Sanctum vel Mysterium cui dicatum est Altare [2]. Ejusmodi Imagines, imo et quælibet in Ecclesia aliisve locis publicis ad cultum religiosum exponendæ, non mode fidelium piæ devotioni, sed præscriptionibus liturgicis ante omnia respondeant: serventur piæ Ecclesiæ consuetudines, ut ex corona circa caput depicta discernantur Imagines Sanctorum ab Imaginibus B. M. Virginis et Jesu Christi: nihil profani, nihil novi in symbolis aliisve ornamentis admisceatur; ut hoc modo pietas fidelium excitetur, procul vero ab Ecclesia pellatur quidquid aut superstitionem fovere, aut irrisiones posset excitare [3].

1) Imagines quæ in Ecclesiis exponuntur, non videntur necessario benedicendæ, at si benedicantur, id fieri potest solemniter ab Episcopo tantum, vel ab eo cui facta est delegatio, privatim etiam a simplici sacerdote. Cf. *Il Monit. Eccl. Ser. I. Vol. VIII. P. II.* pag. 180.

2) S. R. C. 11 Martii 1837, n. 2762.

3) Imagines Beatorum publicæ venerationi exponi nequeunt etiam extra Altare, absque speciali indulto S. Sedis. S. R. C. 28 Sept. 1658, n. 1097; quamvis non principaliter, sed uti supplices ponantur, ut cum apparitiones ipsis Beatis factæ repræsentan-

220. **Benedictio novæ Ecclesiæ.** — De Benedictione sive Ecclesiæ, sive Oratorii, item de utriusque reconciliatione, ut etiam de ceteris Benedictionibus quæ ad hanc classem referuntur, nihil dicendum esse ducimus; quippe hæ functiones rarius occurrunt, et fuse ac dilucide exponuntur in Rituali. Tantum circa Benedictionem novæ Ecclesiæ advertimus, peracta Benedictione dicendam esse Missam de Sancto (vel Mysterio) in cujus honorem Ecclesia dedicatur, et quidem ut voti-

tur. S. R. C. 27 Sept. 1659 n. 1130 et 12 Maji 1877, n. 3420. Ubi tamen indultum fuerit ut Missa de Beato celebretur, licet ejus Imaginem et Simulacrum necnon votivas tabellas super Altari exponere. S. R. C. 17 Apr. 1660, n. 1156. ad I. Imagines Beatorum cum radiis tantum, Sanctorum vero cum diademate circa caput pingi solent.

Exponi permittuntur Imagines seu Simulacra B. M. V. sub titulo *de Lourdes* (etiam cum omnibus apparitionis adjunctis. S. R. C. 27 Aug. 1892, n. 3791) et *de la Salette*, nec non Immaculatæ Conceptionis lucis radios e manibus emittentis. S. R. C. 12 Maji 1877, n. 3419, ad I. In Ecclesiis, in quibus canonice erectæ sunt SS. Rosarii confraternitates, non licet veteri Imagini B. M. V. a Rosario jam exsistenti substituere aliam sub forma Imaginis Pompeianæ, vel hanc ponere in eodem Altari simul cum vetere, vel in Altari diverso ejusdem Ecclesiæ. S. R. C. 24 Febr. 1890, n. 3723. At si ex novo Confraternitas erigitur, nil prohibet quominus Imago Pompeiana, loco veteris, super Altari ponatur.

Tolerari etiam potest, ex prudenti arbitrio Episcopi, usus vestiendi indumentis diversi coloris, pro diversitate festorum ac temporum, sacras Deiparæ Imagines, easque vestibus nigri coloris indutas deferendi in Processionibus Feria V. et VI. Hebdomadæ majoris, dummodo vestes nihil indecens aut profanum præseferant. S. R. C. 15 Mart. 1888, n. 3690.

Imagines autem quæ permagna populi veneratione coluntur, sunt velandæ tempore quo non exponuntur cereis accensis. Cf. S. R. C. 29 Maji 1885, n. 3636, ad IV.

vam solemnem pro re gravi [1]. Item advertimus Benedictione indigere Ecclesiam proprie dictam, et Oratorium publicum; Oratorium vero privatum non benedici. Quod si quis et hoc velit benedicere, utatur formula quæ in Rituali ponitur pro Benedictione domus novæ [2].

221. C. **Benedictiones variæ** reservatæ habentur in Appendice Ritualis, quæ faciendæ sunt ab Episcopo vel aliis Sacerdotibus facultatem habentibus: tales sunt Benedictio Ostensorii, Capsarum pro Reliquiis Sanctorum includendis, Vasorum pro sacris Oleis, etc. Quoad has satis erit conferre Rituale. Duo tamen advertimus: *a*) quoad Benedictionem campanarum: si hæ deserviant Ecclesiis et sacris functionibus annunciandis, nullus Sacerdos ab Episcopo delegari potest ad eas benedicendas absque sacra Unctione; sed consecrandæ sunt ab ipso Episcopo eo ritu qui in Pontificali continetur; neque ulla suffragari potest consuetudo contraria [3]. *b*) quoad Benedictionem deprecatoriam contra animalia nociva: hæc nonnisi ex Episcopi delegatione fieri potest; at si alicubi consuetudo invaluit ut eam simplices Sacerdotes largiantur,

1) S. R. C. 23 Februari 1884, n. 3605, ad II.

2) Qui de hac classe Benedictionum plura cupiat theologica, mystica aut historica, adeat Catalanum *Comm. in Rit. Rom.* h. l. Quandonam Ecclesia aut polluta aut execrata indigeat reconciliatione aut consecratione vel benedictione, vide apud Canonistas.

3) S. R. C. 19 Apr. 1687, n. 1781, 9 Maji 1857, n. 3042, ad II. Si cui Episcopo Sancta Sedes concedat facultatem delegandi Presbyterum ad campanas benedicendas *servata forma Pontificalis Romani*, hic, juxta ordinariam formulam concessionis, utetur Aqua benedicta ab Episcopo, nisi facultas benedicendi Aquam a Sancta Sede concedatur.

Episcopus, si id non improbet, delegationem tacite conferre censetur.

CAPUT V.

De Benedictionibus quæ spectant ad jura parochialia.

222. Celebratio cujuscumque functionis in Ecclesia parochiali, vel in Ecclesia Parocho subiecta, per se spectat ad Parochum; nisi forte in casibus quibusdam obstent diœcesana statuta, aut pacta specialia, aut legitima consuetudo. At insuper sunt functiones quædam, et inter has quædam Benedictiones, quæ nec extra Ecclesiam Parocho subiectam fieri possunt absque Parochi licentia saltem tacita aut præsumpta. Sacerdos itaque eas conferens ageret illicite; quamvis, ex iis quæ alibi diximus, valide agat, eo magis quod hæ Benedictiones generatim sunt invocativæ.

223. **Benedictio mulieris post partum**. — Laudabilis sane est consuetudo, a pluribus jam sæculis inducta, qua christianæ mulieres, non quidem vi legis mosaicæ, sed pio devotionis affectu, post aliquod tempus a partu, antequam civili hominum consortio utantur, ad Ecclesiam veniunt in exemplum Deiparæ Virginis purificatæ, ut Deo pro accepta prole gratias agentes petant a Sacerdote Benedictionem. Ejusmodi piam consuetudinem curabit Parochus conservare et fovere, et quatenus opus sit, restituere; non quidem obligationem insi-

nuando, quæ nullibi existit, sed ritus istius mysticas significationes et uberes fructus passim feminis publice et privatim exponendo.

224. Circa Ministrum, hæc Benedictio non recensetur inter eas quæ sunt de juribus mere parochialibus [1]; sed aliquando vel consuetudine, vel legibus synodalibus, Parochis reservatur. Attamen S. R. C. decrevit: « Benedictionem mulieris post partum fieri debere a Parocho, si expetitus ipse fuerit: posse autem fieri a quocumque Sacerdote, si expetitus pariter fuerit, in quacumque Ecclesia vel Oratorio publico, certiore facto Superiore Ecclesiæ [2]. » Parochus vel Sacerdos benedicens secum habeat et ministrum inservientem, qui vasculum deferat Aquæ benedictæ, et ad preces respondeat.

Subiectum esse potest mulier quælibet, quæ, edita prole, nondum hanc Benedictionem acceperit. Jus tamen ad eam accipiendam habent illæ tantum mulieres, quæ ex legitimo matrimonio pepererint [3], etsi forte ante legitimum matrimonium conceperint; et quamvis proles, post vel ante Baptismum, decesserit [4]. Quare Parochus repellere poterit non modo feminas quæ extra quamcumque formam matrimonii pepererint, sed eas quoque quæ *legitimo* matrimonio conjunctæ non sint. Ad prudentiam Parochi spectabit decernere num id oporteat vel non, dum lex Ecclesiæ non extat quæ prohibeat; certe non denegabit, quoties de partus illegitimitate *non publice constat.*

Pie quidem et laudabiliter mulier prolem suam

1) S. R. C. 10 Dec. 1703, n. 2123, ad VI.
2) S. R. C. 21 Nov. 1893, n. 3813.
3) S. C. C. 18 Junii 1859.
4) S. R. C. 19 Maji 1896, n. 3904.

secum deferet, ut ad imitationem Virginis eam offerat Deo; at opinio quorumdam, quod ad id mulier teneatur, nullo nititur fundamento.

225. Tempus hujus Benedictionis accipiendæ nullibi determinatur; non incongrue accipienda esse videtur elapsis triginta aut quadraginta diebus a partu: interim bonum est quod femina ab aliorum consortio et ab ingressu Ecclesiæ, præter casum necessitatis, abstineat. Locus hujus Benedictionis est Ecclesia, ut ex Rubricis patet. Si qua ergo mulier impediatur infirmitate, Benedictio differatur: si vero impedimentum videatur aut perpetuum aut diuturnum futurum, poterit domi benedici eâ formulâ quæ pro adulto ægrotante habetur in Appendice Ritualis.

Vestes sacræ a Sacerdote induendæ sunt superpelliceum et stola albi coloris. Mulier honeste ac decenter induta defert candelam accensam in memoriam festi Purificationis: conveniens est, ut eam ipsa afferat et offerat [1]. Parochus tamen pro indigentibus propriam præsto habebit.

226. Ritus partim extra Ecclesiam, partim in Ecclesia peragitur. Mulier, in signum humilitatis, ad fores Ecclesiæ, vel in atrio ejusdem expectat; quod si id grave alicui fiat, intra Ecclesiam ad ostium se sistere poterit. Ad eam ibidem genuflexam et manu candelam habentem accedit Sacerdos, aspergit Aqua benedicta, et dicit *Adiutorium nostrum* etc. Aptissime legitur Psalmus XXII. *Domini est terra*, in quo David agens de arcæ translatione sive in tabernaculum a se extructum, sive in templum a Salomone ædificandum, ostendit, quibus virtutibus ornari debeant ii qui templum

1) Cf. **Durandum** *Rationale temporum. Lib. VII cap. VII.*

Domini ingredi cupiunt, ut a Deo referant misericordiam et benedictionem. In fine antiphonæ addatur tempori paschali *Alleluja*.

Deinde porrigit ad manum dexteram mulieris partem stolæ sinistram; ac ita a dextris incedens, mulierem stola mediante introducit in Ecclesiam; quod certe mysterio non caret. Reliquæ preces dicuntur a Sacerdote stante super suppedaneum Altaris paulisper in cornu Evangelii, vel Epistolæ et converso ad mulierem; mulier vero manet ante Altare genuflexa. In precibus et oratione nulla fit mutatio, etsi forte proles ante susceptum Baptismum decesserit [1]; at si plures mulieres simul benedicantur, dicuntur omnia in numero plurali, præter antiphonam *Haec accipiet* [2]. Demum mulierem (vel mulieres) aspergit Aqua benedicta, nempe in medio, a dextris mulieris et a sinistris dicens: *Pax et Benedictio Dei* etc.

227. Si eadem petit pro se Missam celebrari, celebretur de die vel de festo occurrente; quod si ea die permittuntur Missæ votivæ privatæ, dici poterit Missa votiva de B. V. Maria pro temporis diversitate; minime vero Missa de festo Purificationis [3].

228. **Benedictio domorum in Sabbato sancto.** — Triplex extat domorum Benedictio in Rituali, nempe capp. 4, 5 et 7, cui addi potest *Benedictio loci* cap. 6 [4]. Prima ex his adeo spectat ad Pa-

1) S. R. C. 12 Septembris 1857, n. 3059, ad XVII.

2) De antiphona aliter censet **Al. Castellani** *Kal. veron. 1851* pag. IV in nota.

3) S. R. C. 22 Dec. 1753, n. 2427, ad II.

4) Nomine loci heic intelligitur vel particulare cujuspiam domus cubiculum, vel territorium, aut districtus, aut communitas. **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 286.*

rochum, ut omnino inter jura parochialia ex pluribus S. Congregationis Concilii declarationibus sit recensenda. Quamvis Parochus possit alios Sacerdotes delegare, tamen auctores recentes monent id faciendum non esse, nisi vera habeatur necessitas; forte enim hæc unica occasio est, qua Parochus poterit fideles suos, eorumque conditionem ac necessitates tum spirituales, tum corporales agnoscere, pluribusque incommodis obviare [1].

Hæc Benedictio danda est ipsa die Sabbati sancti ex Aqua fontis ante perfusionem Chrismatis accepta; nec licet eam anticipare sive diebus præcedentibus, sive ipsa die Sabbati sancti ante solemnem Aquæ Benedictionem; verum, attenta præsenti Sacerdotum penuria, licebit eam largiri durante hebdomada octavae Paschatis [2].

Quæres: Qua formula hoc in casu utendum sit? — Censerem eâ quæ habetur cap. 5; talis enim Benedictio vere datur *pro* Sabbato sancto; eo magis quod eo in casu largienda est infra octavam Paschæ, vel saltem intra tempus paschale. Quod si hæc Benedictio per fas aut nefas anticipetur, vel ultra tempus paschale differatur, utendum esse videretur formulâ capitis sequentis cum antiphona *Asperges* [3].

Vestes sacræ sunt superpelliceum et stola coloris albi.

229. Obiectum hujus Benedictionis est domus

1) Cf. **Berengo** *Enchir. Paroch. P. III. n. 185,* **Frassinetti** *Man. del Parr. nov. P. I. cap. IX.*

2) Ex *Rit. Rom.* h. l. *n. 1.* Cf. declarationem S. C. C. 25 Nov. 1864 apud *Acta S. Sedis Vol. I.* pag. 607, et S. R. C. 20 Nov. 1885, n. 3645, ad II.

3) De consuetudine propria Patriarchatus Veneti vide **Berengo** *Ench. Paroch.* l. cit.

ipsa simul cum fidelibus in ipsa habitantibus. Nec domus hebræorum aut hæreticorum (in quibus scilicet hebræi aut hæretici habitant, non quarum domini sunt hebræi aut hæretici), nec domus in quibus habitant meretrices, benedicendæ sunt, nec illæ in quibus paterfamilias est excommunicatus vitandus. Licet enim domus benedicatur, benedicitur tamen in favorem eorum qui ipsam inhabitant, ut ex precibus patet.

Materia Benedictionis, quæ fiat in Sabbato sancto aut saltem tempore paschali, est Aqua fontis in eo Sabbato benedicta, sed accepta ante Chrismatis infusionem; aliis temporibus erit Aqua benedicta communis. Aspersio fit in locis præcipuis; nec opus est ut Sacerdos descendat ad inferiora, aut ad superiora ascendat: at si in eadem domo plures sint familiæ, singulis propriam Benedictionem largietur. Aspersio unica fit, nempe ab initio; et fit in modum Crucis, in medio, a dextris loci benedicendi et a sinistris.

Forma integre exhibetur in Rituali. Prima salutatio *Pax huic domui* repetenda est ex præcepto Christi apud Lucam X. 5; utraque ejus pars dicenda est a Sacerdote, licet contrarium teneat Catalanus. Antiphona desumpta ex Ezech. XLVII. et Psalmus CXVII. aptissime huic ritui conveniunt; item et oratio alludens ad hebræorum domus tinctas sanguine agni. Hæc omnia amplissimam exhibent Parocho materiam, qua virtutem hujus Benedictionis ejusque utilitatem fidelibus exponat.

Catalanus, Presbyter Oratorii S. Philippi, acerrime invehitur in usum quorumdam Parochorum recipiendi hac occasione pias oblationes fidelium. Attamen ubi in Diœcesi adsit generalis consuetudo, hæc non videtur a quopiam Parocho abo-

lenda; quisque tantum caveat a quavis specie simoniæ aut turpis avaritiæ.

Benedictio domorum extra Sabbatum sanctum videtur fieri posse a quolibet Sacerdote: certissime ad jus Parochi non pertinent Benedictiones loci et domus novæ: circa ritum servandum satis erit conferre Rituale; stola erit coloris pro ratione temporis.

230. Huc revocari possunt aliæ Benedictiones quæ spectant ad jura parochialia *per accidens*. Hoc modo ad Parochum spectat *Benedictio nuptialis*, de qua diximus in *Liturgia Sacramentorum* Tit. VI. cap. VI: item *Benedictio fontis in Sabbato sancto*, et in *vigilia Pentecostes*, siquidem Ecclesia parochialis habeat fontem baptismalem; eadem de causa et *Benedictio fontis extra Sabbatum Paschæ et Pentecostes:* ritus illius extat in Missali Romano ad Sabbatum sanctum; istius in Rituali Tit. I. cap. 7; neutrum tamen declarandum censemus.

Item ad jus Parochi pertinere posset ex statutis diœcesanis, aut ex consuetudine, *Benedictio puerorum cum præsertim in Ecclesia præsentantur* [1]; item *Benedictio vestium pro Confratribus SS. Sacramenti*, et aliæ hujusmodi. In his Benedictionibus, quum fiant ad Altare, vestes adhibendæ sunt alba, stola et pluviale coloris officio diei convenientis; at si immediate Missa sequatur, super albam et stolam assumi debet casula etiam pro Benedictione [2]. De Benedictionibus solemnibus Candelarum, Palmarum et Cinerum dicemus Titulo III.

1) Extat in Appendice Ritualis pag. 72.

2) S. R. C. 31 Augusti 1867 n. 3158. De colore sacrarum vestium vide Uberti *De re sacram.* etc. n. 62.

CAPUT VI.

De Benedictionibus cuicumque Sacerdoti communibus.

231. Ejusmodi sunt omnes aliæ Benedictiones, quæ exhibentur in Rituali vel ejus Appendice; nisi quod ex his quædam propriæ sunt Ordinum religiosorum. Ex iis quæ a Sacerdote quolibet sæculari tribui possunt, eas tantum exponimus quæ sunt usu frequentiores.

232. **Benedictio Aquae.** — Sicut in Liturgia Mosaica habebantur aquæ expiatrices [1], et ipse Christus ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum condidit substantia, ita et Ecclesia in suis Sacramentalibus maxime utitur Aqua, quam proinde decebat suo proprio ritu consecrari. Plures sunt Benedictiones Aquæ. Quædam fiunt ab Episcopo cum sale, cinere et vino ad consecrandam, vel reconciliandam Ecclesiam, ad benedicendum lapidem primarium Ecclesiæ, vel campanam etc: habentur in Pontificali. Alia fit a Parocho in Sabbato Paschæ et Pentecostes in usum præsertim Baptismi solemnis, quæ extat in Missali: huc reduci potest Benedictio fontis, quæ extat in Rituali. Tertia fit a quolibet

1) Cf. *Num. XIX 17* et seqq. Hanc Aquæ Benedictionem dicitur in *Libro Pontificali* instituisse **S. Alexander:** verum valde probabile est eam ab Apostolorum ætate repetendam esse. Num eam catholici a gentilibus mutuati sint, ut contendunt Protestantes, vide apud **Perrone** *De Sacram. in gen. n. 178*, nota.

Sacerdote, cum immixtione salis ad benedicendas sive res, sive personas; et habetur tum in Missali, tum in Rituali Tit. VIII. cap. 2. De hac agimus.

233. Minister hujus Benedictionis est solus et omnis Sacerdos. Quod esse nequeat Diaconus patet, tum ex Rubrica n. 1, tum ex recenti Responso S. Congregationis: « Quum aliquando necessitas exigat, ut Diaconis committatur solemnis Baptismatis administratio, quæritur: Potestne Diaconus salem benedicere et aquam? » Respondit: « Negative »[1].

Vestes sacræ, supposita talari, sunt superpelliceum et stola coloris violacei: at si Benedictio in Dominicis fiat ante Missam a Sacerdote celebraturo, hic induere potest amictum, albam, cingulum et stolam colori Missæ convenientem. Locus, juxta Missale, est sacristia, scilicet pro Benedictione quæ fiat diebus dominicis ante Missam solemnem; juxta Rituale, est Ecclesia (quod nomen late accipiendum est), pro Benedictione quæ fiat quandocumque opus est[2].

Materia et simul obiectum hujus Benedictionis sunt sal et aqua. Utrumque elementum suas habet significationes, per quas indicantur fructus a fidelibus per usum hujus Sacramentalis percipiendi. Aqua maculas tollit, sal putredinem: illa fecundat, hic conservat: illa pœnitentiam importat et proinde remissionem peccatorum, hic præservationem a relapsu et initium virtutum[3].

234. Ritus constat triplici parte. Præmittitur Exorcismus et Benedictio salis: preces Exorcismi

1) S. R. C. 10 Februarii 1888, n. 3684.
2) Vide **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 129, 2.°*
3) Cf. plura apud **Quarti** *De Benedictionibus. Tit. III. Dub. III. Sect. I.*

alludunt ad aquas Hierico ab Eliseo Propheta sanatas per infusionem salis [1]: sequitur Exorcismus et Benedictio aquæ; ac demum commixtio utriusque. Quoties Sacerdos signum Crucis manu dextera efformat, sinistram ponat super Altare, siquidem ad Altare benedicat; secus eam pectori admoveat. Immissio salis in aquam fit in forma triplicis Crucis, et sub invocatione SS. Trinitatis; ut intelligamus ex Trinitate per merita Christi omnia nobis bona derivare.

Sal semel exorcizatus conservari potest ad posteriores aquæ Benedictiones. Item sub unica forma possunt plura aquæ vasa benedici, dummodo ea sint moraliter præsentia Sacerdoti [2], et ipse in singula, sub forma distincta, salem immittat.

235. In Rubricis tum Missalis tum præsertim Ritualis clare innuitur hanc aquæ Benedictionem faciendam esse singulis Dominicis ante Missam conventualem, vel quasi-conventualem; et in Cæremoniali Episcoporum L. I. cap. VI. n. 2 statuitur, ut Aqua benedicta singulis saltem hebdomadis renovetur. — Quæres: An id omnino præcipiatur? — Videretur negandum esse, eo quod neutra Rubrica formam præseferat imperativam, et Ordinariis tacentibus eadem passim non servetur. At sæpius eam renovare decet, et in triduo majoris hebdomadæ certo est removenda a vasis Ecclesiæ [3].

236. In Missali, post Ordinem faciendi Aquam benedictam, hæc ponitur Rubrica: « Sacerdos ce-

1) *IV. Reg. II.* Quid sit, quidque importet Exorcismus dicemus Tit. IV.

2) Iudicio prudentum hæc moralis præsentia salvatur intra viginti passus. Cf. dicta n. 189. d) et *Ephem. liturg.* 1889 pag. 602.

3) S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 2682, ad LIV.

lebraturus indutus pluviali coloris officio convenientis [1] accedit ad Altare; et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, etiam tempore paschali, accipit a Diacono aspersorium, et primo ter aspergit Altare, deinde se, et erectus Ministros... clerum, deinde populum, » etc. Quem ritum auctores dicunt servandum esse quoque in Ecclesiis minoribus ante Missam parochialem.

Hæc aspersio fieri non potest nisi a Sacerdote Missam celebrante, non obstante contraria consuetudine [2]; antiphona vero *Asperges me*, vel *Vidi aquam* repetenda est a Celebrante et a cantoribus [3]. Ritus clare traditur in Missali.

Quæres: Num hæc aspersio omnino præcipitur? Respondeo: In Ecclesiis Collegialibus *de præcepto* est præmittenda Missæ Conventuali quæ canitur in Dominicis cum vel absque Ministris; in aliis Ecclesiis *potest* fieri [4].

237. Alii usus Aquæ benedictæ indicantur a Rubrica Ritualis n. 5; ut nempe fideles eam in vasculis acceptam secum deferant ad aspergendos ægros, domos, agros, vineas et alia, et eam habeant in cubiculis, ut eâ quotidie et sæpius aspergi possint. Etenim Aqua benedicta est Sacramentale permanens, quo non modo sacri Ministri, sed et laici quivis in suum et alienum bonum uti possunt. Consuetudo deferendi in domos privatas hanc Aquam a primis sæculis repetenda est [5]; indeque

1) Auctores plures præferunt colorem Missæ celebrandæ; cf. Fumagalli *Manuale Vol. I. P. II. cap. I. N. 76.*
2) S. R. C. 29 Novembris 1856. n. 3039. ad V.
3) S. R. C. 7 Julii 1876. n. 3402, ad VI.
4) S. R. C. 15 Decembris 1899. n. 4051, ad I.
5) **S. Jo. Chrysost.** *Hom. De Baptismo Christi* (opp. *T. II.* pag. 369). Cf. **Bened. XIV.** *De Canon. SS. L. IV. P. II. n. 22.*

plurima beneficia et spiritualia et corporalia in christianum populum semper derivarunt. Proderit potissimos Aquæ lustralis effectus breviter exponere.

238. Primus et principalis effectus est remissio peccatorum venialium : non quidem *ex opere operato*, sed quatenus per virtutem ipsi inditam ex Benedictione per merita Ecclesiæ, pios motus detestationis eorumdem excitat, per quos ea remittuntur. Similiter et remitti potest pœna iisdem venialibus debita [1].

Alter effectus est, ut dæmones fuget, sicut ex pluribus factis historiæ ecclesiasticæ comprobatur [2].

Insuper et bona plura temporalia ex usu Aquæ benedictæ fidelibus provenire patet ex oratione *Deus qui salutem humani generis etc.*

Adest et indulgentia a s. m. Pio IX concessa per Breve 23 Martii 1866 ; indulgentia nempe centum dierum quoties quis, corde saltem contrito, seipsum cum Aqua benedicta signo Crucis signaverit, sub invocatione SS. Trinitatis dicens : *In nomine Patris*, etc. [3]. Quoad alios effectus videatur Quarti op. citato.

Ad ejusmodi effectus consequendos necesse non est ut Aqua physice tangat personas seu res aspergendas ; satis est contactus moralis. Talis habetur, quoad personas, quoties acceptatur per aliquod signum, v. gr. per inclinationem capitis, per signum Crucis, etc : quoad res, quoties intentio aspergentis ad eas moraliter præsentes dirigitur, ut si benedicantur plures candelæ, vel palmæ in magno numero et amplo loco, vineæ, etc.

1) Vide quæ diximus Tit. I. n. 183.
2) Cf. **Gaume**. *L' Acqua Santa nel secolo XIX.*
3) Cf. *Raccolta di Orazioni etc. cap. I. n. 8.*

239. **De ceteris Benedictionibus.** — Sunt Sacerdotibus communes omnes aliæ Benedictiones [1], quæ sequuntur in Rituali; item quæ in Appendice dicuntur non reservatæ, et plures quæ ponuntur inter novissimas; iis nempe inter has exceptis, quæ dicuntur propriæ quorumdam Ordinum, aut pro quibusdam tantum Diœcesibus approbatæ. Quoad istas omnes, satis erit conferre Rituale ejusve Appendicem; speciatim hæc notamus.

Benedictiones unius aut plurium infirmorum plures habentur. Prima satis prolixa extat in Rituali Tit. V. cap. 4; ubi advertere potes Rubricam n. 26: « Quæ omnia etiam poterunt arbitrio Sacerdotis *breviora* fieri. » Aliæ extant in Appendice, inter quas specialis habetur pro pueris infirmis, quibus Sacramentum Extremæ Unctionis non præbetur. Patet male se gerere illos Sacerdotes, qui posthabitis his formulis ab Ecclesia approbatis, aut aliquam sibi confingere velint, aut eam usurpare ex libellis qui legitima carent S. Rituum Congregationis approbatione [2].

240. *Benedictio Olei simplicis* habetur cap. 19 Ritualis. Cave ne censeas hoc Oleum fieri posse materiam Sacramenti Extremae unctionis, saltem deficiente Oleo ab Episcopo consecrato. Est merum Sacramentale tum in se, tum in ejus applicatione super infirmum.

Sicubi consuetudo habeatur benedicendi domos in Epiphania, ritus ejus Benedictionis habetur in Appendice. Verum Aqua tunc benedicenda erit ritu

1) Forte excipienda Benedictio super vineas et agros cap. 10; quæ juxta quosdam spectat ad jura parochialia, saltem si solemniter fiat. **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 292.*

2) Adverte et linteamina pro infirmis nunc propriam habere Benedictionem.

consueto, non eo qui in quibusdam Editionibus Ritualis refertur; hic enim in Editione typica expunctus fuit [1].

Si pro re quapiam benedicenda adhuc propria forma desideretur, adhibeatur ea quæ in Appendice titulum habet: *Benedictio ad omnia.*

Huc revocari potest *Benedictio Vexilli* quæ habetur in Appendice titulo *vexilli processionalis.* A quocumque Sacerdote dari potest vexillis sive religiosis, seu confraternitatum, sive prophanis, seu societatum laicalium, quarum statuta sint ab ecclesiastica auctoritate recognita a qua dependeant, quæque signum aliquod religiosum, nullum vero reprobandum præseferant [2]. Tum hæc, si benedicta sunt, tum illa, quamvis non benedicta, possunt in Ecclesiis introduci, non vero cetera [3]. Verum Benedictio *vexilli bellici* est reservata Episcopis, et formula habetur in Pontificali Romano. Cf. dicenda n. 278.

De Benedictione cum Reliquiis Sanctorum dicemus Tit. IX. cap. VI.

1) « An in Aquæ Benedictione, quæ in vigilia vel in festo Epiphaniæ alicubi fieri consuevit, permittendus sit ritus alius, quam qui præscribitur a Rituali Romano ad faciendam Aquam benedictam? » Resp. « Negative. » S. R. C. 17 Maji 1890, n. 3730.

2) C. S. O. 3 Ott. 1887.

3) S. R. C. 14 Julii 1887, n. 3679, ad I. et II.

CAPUT VII.

De Benedictionibus propriis quorumdam Ordinum religiosorum.

241. Quandoquidem hæ Benedictiones non sunt in usu frequenti Sacerdotum, ideo brevitatis causa totam expositionem ad tria tantummodo capita restringemus; dicentes: *a*) de erectione Viæ Crucis; *b*) de Coronis benedicendis; *c*) de Scapularibus et benedicendis et imponendis.

242. A. **De erectione Stationum Viae Crucis.** A primis temporibus Ecclesiæ consueverunt Christifideles ad loca sacra Palestinæ peregrinari [1], ut terram vestigiis pressam Salvatoris ejusque Sanguine sanctificatam oscularentur, ibique mysteria redemptionis nostræ meditantes ad sinceram suorum peccatorum detestationem et ardentem Jesu Christi amorem efficacius excitarentur. Verum, quum plurimi a sacra peregrinatione necessario impediantur, hinc sanctissimi viri methodum ex divina illustratione proposuerunt, qua omnes possent ejusdem piæ peregrinationis fructus plus minusve copiose participare, oculis et menti simul subiiciendo Passionis Dominicæ mysteria, mediante pio illo exercitio quod *Via Crucis* nuncupatur. Hoc exercitium, testante Benedicto XIV, est inter potissima devo-

1) Pia traditio originem hujus exercitii tribuit Beatissimæ Virgini Mariæ: cf. opusculum editum an. 1884: *Instructio de Stationibus S. Viæ Crucis* n. 2.

ionis opera recensendum, et simul efficacissimum nedium est tum ad Christi Passionem et Mortem ite colendam, tum ad peccatores in viam salutis educendos, tepidos incendendos, ipsosque sanctos d ulteriora perfectionis fastigia perducendos. Quiimo Summi Pontifices, ut christianos ad hoc pium xercitium excitarent, illud amplissimis indulgentiis itarunt, iisdem scilicet quibus jam visitatio locorum acrorum insignitur.

Verum ut hæc bona fidelibus communicentur, ecesse est eas conditiones præstare quæ fuerunt a Summis Pontificibus statutæ, sive quoad erectionem Stationum Viæ Crucis, sive quoad modum ipsius xercitii peragendi.

243. Facultas benedicendi et erigendi Stationes Viæ Crucis est penes Ordinem seraphicum, seu penes corpus regularis et strictioris Observantiæ S. P. Francisci (Observantium nempe, Reformatorum, Recollectorum et Discalceatorum,) quod mitat sub immediato regimine Ministri Generalis totius Ordinis S. Francisci. Hinc Minister non potest esse nisi Sacerdos ex eodem Ordine; vel tiam quilibet sive regularis, sive sæcularis Sacerdos, ummodo delegationem habeat a Ministro generali jusdem Ordinis seraphici. At insuper, si agatur e erectione facienda in Ecclesia subiecta Ordinario, hujus quoque licentia requiritur, et quidem criptis data in singulis casibus, sub pœna nullitatis t amissionis indulgentiarum. Ita ex Responso S. Congregationis Indulgentiarum [1], quod agit quidem

1) S. C. Indulg. 21 Junii 1879, n. 445. Vide et habitam discussionem apud *Acta S. Sedis Vol. XII.* pag. 116, seqq. equiritur insuper consensus, vel postulatio consensui æquialens, Parochi vel superioris Ecclesiæ, monasterii, hospitalis hæc loca sint de jure aut de facto a Parochi jurisdictione

de Sacerdote delegato, at ex paritate rationis extendendum esse videtur ad ipsos fratres Minores. — Vestes induendæ sunt superpelliceum et stola coloris violacei.

Insuper et unus vel duo adsint clerici (vel pueri clericalibus vestibus induti), qui deferant vasculum Aquæ benedictæ et thuribulum cum navicula incensi.

Obiecta benedicenda sunt Imagines et Cruces quatuordecim ; sed illæ laudabiliter, hæ necessario. Imagines repræsentent diversa Dominicæ Passionis mysteria, quæ aut ex fide catholica certa sunt, aut saltem in pia fidelium traditione continentur [1]. Cruces debent esse ex ligno, exclusa qualibet alia materia, et quidem sub pœna invaliditatis [2]; insuper et debent esse populo conspicuæ. Nihil tamen prohibet quominus Cruces ligneæ inaurentur, vel colore inficiantur, vel etiam metallicis instruantur ornamentis, dummodo materia lignea et major sit et omnibus conspicua.

Ex usu autem universali Imago Jesu Christi Crucibus non apponitur, et Cruces apte, quamvis non necessario, superimponuntur imaginibus et ipsis figuntur.

244. Ritus benedicendi ac erigendi Stationes, ad

exempta; et quidem in scriptis, et non aliter. S. C. Indulg. 3 Aug. 1748, n. 175, 28 Aug. 1752, n. 194, 25 Sept. 1841, n. 294. At si certum est *ad validitatem* erectionis requiri consensum Superioris localis *scriptis* expressum, idem non videtur dicendum de sola postulatione, nisi hæc consensus locum teneat. Cf. *cit. Instructionem n. 23.*

1) De novitatibus, quas Jansenistæ nostrates sæculo superiori introducere voluissent, confer, si vis, opus *Dizionario ricciano* etc. ad v. *Via Crucis.*

2) Ex Rituali Romano et Dec. S. C. Indulg. 23 Nov. 1878, n. 442. At irregularitates, quæ hac super re jam irrepserant, fuerunt omnes sanatæ per Decretum S. C. Indulg. 31 Julii 1883.

validitatem servandus, extat in Appendice Ritualis. Constat partibus quinque: Introductione, Benedictione Imaginum, Benedictione Crucium, exercitio Viæ Crucis, et gratiarum actione. Patet autem non omnia et singula ad validitatem requiri, sed necessarium est quod erector sit moraliter præsens in loco, in quo Via Crucis est constituenda, nec sufficeret privatim domi Cruces benedicere easque alteri Sacerdoti in designato loco affigendas committere.

Monet in primis Rubrica, profecto directiva, ut Sacerdos ascendens Altare, ibidem stans brevi sermone super præstantia et utilitate pii exercitii Viæ Crucis populum alloquatur. Post hæc habetur introductio per Hymnum *Veni creator Spiritus* etc. cum tribus orationibus. Dein benedicuntur Imagines, si adsint; earumque Benedictio perficitur aspersione Aquæ benedictæ et thurificatione. Sequitur ritus benedicendi Cruces, qui profecto ad validitatem servandus est. Cruces benedicendæ poni possunt vel super Altare, vel super mensam ibidem appositam; vel jam præcedenter cum suis Imaginibus possunt esse super parietem ad propria loca affixæ [1]; hæ non incensantur, sed asperguntur tantummodo. Si Cruces antecedenter non fuerant proprio loco affixæ, Sacerdos primam ex illis cum sua tabula osculatur, eamque vel per se, vel per laicum decenti habitu indutum (deceret per religiosum franciscalem, vel per confratrem SS. Sacramenti habitu indutum confraternitatis), collocat in loco ad id præparato cum aliquali distantia inter unam et aliam Stationem, et ita ut totum iter paucis admodum passibus non absolvatur. Indifferens est quod Statio

1) S. C. Indulg. 21 Junii 1879, n. 447.

prima in cornu Evangelii, aut in cornu Epistolæ collocetur; licet primum videatur magis piis rationibus innixum, et conforme praxi communiori Ecclesiæ, et maxime Urbis Romæ. Erigi possunt Stationes sive in Ecclesia, sive in Oratorio publico, sive etiam in privato, in quo ex privilegio liceat Missam celebrare, imo etiam sub divo, in choro, in locis interius conventuum usui prophano non addictis; minime vero in Oratoriis privatis non habentibus privilegium apostolicum, neque in domesticis cellis, sine Indulto S. Sedis. Plura quoque in eodem loco, constitui possunt Viæ Crucis exercitia; nec ulla habenda est ratio distantiæ loci a loco [1].

Post hæc peragatur ipsum pium exercitium: [2]. nempe Sacerdos, post primam Stationem collocatam, legit meditationem et preces huic respondentes; quod et fiet in ceteris Stationibus. Demum, cantato Hymno *Te Deum*, Sacerdos populo benedicit cum Cruce.

245. Si tabulæ jam benedictæ mutentur omnes, etiam simultanee, non ideo cessat Benedictio quoad Cruces, et proinde nec cessant indulgentiæ; e contra cessant, si mutentur Cruces, nisi minor pars mutetur, licet hoc pacto mutentur plures successive. Si tum tabulæ, tum Cruces ad tempus amoveantur etiam ab Ecclesia, vel si in eadem Ecclesia locus earum-

1) Cf. *Instruct. cit.* n. 14, 19, et S. C. Indulg. 14 Maji 1871, n. 429, 15 Mart. 1884. - At si agatur de facultate delegata, attendantur termini delegationis, quæ profecto interpretationem *extensivam* non admittit. *Instruct. cit. n. 17.*

2) Exercitium non est ad validitatem erectionis peragendum, et facta (utique in loco ubi est facienda erectio) tabularum et Crucium benedictione, hæc possunt a quocumque, etiam alio tempore, affigi. S. C. Indulg. 22 Aug. 1842, n. 311.

dem mutetur ad meliorem symmetriam, non ideo cessant indulgentiæ; cessant si definitive in alium locum, puta in aliam Ecclesiam, vel Oratorium, transferantur, et tum in novo tum in pristino loco, alia opus est erectione [1]; pariter cessant, si, destructa veteri Ecclesia, nova ædificetur aut in loco diverso, aut sub diverso titulo [2].

246. Circa modum peragendi exercitium Viæ Crucis, duo regulariter requiruntur: *a*) meditatio Passionis D. N. Jesu Christi, et *b*) transitus localis ab una ad aliam Stationem. Quoad primum: ad percipiendos fructus hujus exercitii, nominatim ad lucrandas indulgentias, necesse est meditari Christi Passionem in singulis Stationibus; sufficit vel brevis meditatio, nec requiri videtur determinate meditatio singulis Stationibus respondens [3]: sed absque meditatione Passionis frustra quis indulgentias consequi præsumeret: legere vero, nec satis est, nec est necesse.

Insuper motus localis regulariter requiritur, quantum capacitas Ecclesiæ et frequentia fidelium permittit. Necesse quidem non est accedere immediate ad singulas Stationes, satis est accedere moraliter: at si frequentia tanta sit in Ecclesia, ut quilibet motus localis impediatur, tunc exercitium Viæ Crucis impossibile redditur, nec proinde lucrari possunt indulgentiæ [4]. Diximus *regulariter:* nam si peragatur

1) S. C. Indulg. 30 Jan. 1839. n. 270.
2) Cf. S. C. Indulg. 9 Aug. 1843, n. 323.
3) Dicitur quidem S. Congregatio declarasse die 16 Februarii 1839 quod oporteat meditari mysteria per singulas Stationes repræsentata: at responsum illud nec in Decretis authenticis, nec in Rescriptis (edit. Ratisb. 1883, 1885) invenitur. Cf. *Instructio cit.* n. 41.
4) S. C. Indulg. 26 Febr. 1841, n. 287.

publice, sufficit ut observetur methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, Sacerdos cum duobus clericis circumeat, sistens in qualibet Statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus [1]. Quam quidem methodum servari posse, ob loci angustiam, in Sacellis domorum Communitatum religiosarum, ita etiam ut, loco Sacerdotis cum duobus clericis, unus tantum e fratribus non Sacerdos circumire ac sistere in qualibet statione suetasque preces recitare valeat, declaravit nuperrime S. C. Indulgentiarum [2].

Præter duo hæc, nullum aliud opus præscribitur, nec Confessio, nec Communio, nec recitatio quarumcumque precum: hæc omnia sunt de consilio; requiritur utique contritio, si quis sit in peccato mortali.

247. Quæres: Quot et quales sint indulgentiæ huic pio exercitio adnexæ?

Respondeo: Sunt omnes illæ, quas fideles lucrarentur, si personaliter hoc exercitium peragerent ad Stationes Viæ Crucis in Jerusalem [3]: hæ vero quot et quales sint, nemo novit nisi Deus; ceterum eas determinate prædicare, ac si eas certe fideles lucrarentur, prohibitum est Decretis Clementis XII. die 3 Aprilis 1731 et Benedicti XIV. die 10 Maji 1742. Item non constat utrum hæ indulgentiæ pluries eo-

1) S. C. Indulg. 6 Aug. 1757, n. 210. Hinc satis non est quod Sacerdos e suggestu legat aut proponat mysteria meditanda.

2) S. C. Indulg. 27 Febr. 1901, apud *Il Monitore Eccl. Ser. II. Vol. III.* pag. 10.

3) Cf. Decretum **Benedicti XIII.** *Decr. auth.* pag. 448.

dem die lucrari valeant [1]. Omnes applicabiles sunt animabus in Purgatorio detentis. *Instructio* etc. n. 39.

Porro si Stationes erectæ sunt in locis *publicis*, ab omnibus fidelibus exercitium Viæ Crucis peragentibus indulgentiæ lucrantur; si vero erectæ sunt in locis *non publicis*, indulgentiæ acquiruntur tantum a personis in concessionum rescriptis designatis.

248. De Crucifixis cum indulgentiis propriis Viae Crucis. Clemens XIV. per Decretum 26 Januarii 1773 concessit ut infirmi, navigantes, in carcere detenti, vel quomodocumque impediti a peragendo in Ecclesia exercitio Viæ Crucis, possent easdem indulgentias lucrari cum Crucifixo benedicto ab aliquo superiore franciscano subiecto Ministro Generali Domus Aræ Cœli. Conditiones tres sunt: *a*) quod Crucifixus sit ex aurichalcho (*ottone*), vel ex alia materia solida, exclusa nempe tantummodo materia fragili [2]; *b*) quod quis legitime impediatur [3] a peragendo hoc exercitio apud Stationes canonice erectas; *c*) quod corde saltem contrito, et manibus tenens prædictum Crucifixum recitet viginti *Pater*, *Ave* et *Gloria*; unum nempe pro qualibet Statione, quinque in SS. Vulnerum memoriam, unum juxta mentem Sanctitatis suæ [4].

1) S. C. Indulg. 10 Sept. 1883. Hoc tamen dici poterit quoad *plenarias* indulgentias, at forte secus quoad *partiales*. *Instructio cit.* n. 44. **Hilgers.** *Man. d'Indulg.* pag. 232.

2) S. C. Indulg. 8 Augusti 1859, n. 387.

3) Exempla allata in Decreto **Clementis XIV.** indicant impedimentum debere esse physicum, non mere morale: cf. tamen *cit. Instructio*, n. 52, juxta quam sufficere videtur motivum *vere* rationabile, quacumque ex causa proveniat, quod impedit a visitandis hic et nunc Stationibus canonice erectis.

4) Ita ex citato Decreto, et Declaratione S. C. Indulg. 8 Augusti 1859, n. 387.

Verum quoad tertiam conditionem, si plures in communi hoc exercitium peragant, omnes (utique impediti) lucrantur indulgentias, etsi unus Crucifixum manu teneat [1]. Quin imo s. m. Pius IX. indulsit, ut qui morbo tam gravi afficiuntur, ut recitandis viginti *Pater Ave* et *Gloria* impares sint, eorum loco semel recitent actum contritionis, vel invocationem *Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti* [2].

Formula ad hujusmodi Crucifixos benedicendos, nulla est determinata: sufficit signum Crucis factum a Sacerdote habente facultatem ad hanc specialem benedictionem, qui quidem potest, unico signo Crucis et cum speciali intentione, diversas simul applicare indulgentias:

Circa usum hujus Crucifixi benedicti videntur ea applicanda, quæ paulo inferius tenenda esse dicemus generatim de usu obiectorum, quibus ex Benedictione adnexæ sunt indulgentiæ.

249. B. **De Benedictione Coronarum.** — Extant in Appendice Ritualis novem Benedictiones diversarum Coronarum, quæ singulæ sunt propriis Ordinibus vel Confraternitatibus reservatæ. Minister itaque ordinarius erit Sacerdos eorumdem Ordinum aut Confraternitatum; extraordinarius poterit esse Sacerdos a Superiore eorumdem Ordinum vel Confraternitatum delegatus. Forma habetur propria pro diversis Coronis: attamen pro duplici tantum Corona præcipitur ea forma *sub pœna nullitatis*, nempe pro Rosario, et pro Corona septem dolorum: pro reliquis adhiberi etiam potest simplex signum Crucis, sive Rescriptum concessionis habeat clau-

1) S. C. Indulg. 19 Ian. 1884.
2) *Acta Minorum* m. Septembris 1882.

sulam *in forma Ecclesiæ consueta*, sive non habeat [1]. Porro uni eidemque Coronæ possunt ab habentibus facultatem adnecti plures indulgentiæ; ad eas tamen lucrandas oportebit opera ad singulas præscripta implere, et quæ communia sint, ac iterari et possint et soleant, iterare [2]. Quanam materia Coronæ constare debeant diximus superius n. 206.

250. Conditiones ad lucrandas indulgentias Coronis adnexas, relate ad Coronas frequentioris usus, determinantur in opere *Raccolta di Orazioni e pie opere* etc. Romæ edito a. 1886. Generatim necesse est, ut dum preces recitantur, simul Corona benedicta manibus teneatur; at quoad Coronas Rosarii a Fratribus O. Præd. vel Sacerdote ab ejusdem O. Generali Ministro delegato benedictas, si plures recitent simul, satis est quod unus Coronam teneat, ceteri vero, semotis aliis curis, ad unitatem cum ipso se componant [3]. Ad recitationem Rosarii, et consequenter ad ejus indulgentias lucrandas, requiritur *essentialiter* meditatio misteriorum [4]. Attamen Benedictus XIII. Const. « *Pretiosus* » die 26

1) S. C. Indulg. 7 Januarii 1843, n. 313.

2) S. C. Indulg. 29 Februariii 1820, n. 249, 12 Januarii 1878, n. 434.

3) S. C. Indulg. 22 Januarii 1858, n. 384. Hæc est concessio specialis: ceterum valet generalis declaratio data die 29 Maji 1841, n. 291 qua constat id non sufficere *absque speciali facultate*.

4) S. C. Indulg. 13 Augusti 1726, n. 92. Facilioris acquisitionis sunt indulgentiæ quingentorum dierum pro *qualibet* Oratione Dominica aut Angelica Salutatione, quæ recitetur cum Corona a Patribus Cisterciensibus Crucigeris benedicta; pro quibus nulla meditatio, nec integræ Coronæ recitatio requiritur: *facilioris acquisitionis* dicimus, non *meriti et fructus uberioris*. Formula benedicendi non extat in Appendice Ritualis, quum hæc facultas nemini concedi soleat. S. C. Indulg. 14 Martii 1884.

Maji 1827, concessit ut personæ idiotæ quæ mysteria meditari haud valent, sola Rosarii recitatione easdem lucrentur, licet expresse velit, ut hæc quoque mysteria nostræ redemptionis assuescant meditari.

251. Ad tollendas non infrequentes fidelium, et forte etiam Sacerdotum illusiones circa usum Coronarum benedictarum, imo quorumcumque obiectorum, quibus ex Benedictione cum legitima facultate accesserint indulgentiæ, opportunum censemus hoc loco principia quædam statuere ac declarare.

In Benedictione horum obiectorum duo sunt effectus distinguendi. Primus est essentialis, ipsa nempe Benedictio *constitutiva*, qua res antea profana nunc benedicta habetur; alter est accessorius, indulgentia nempe, quæ ex voluntate summi Pontificis per Benedictionem a legitimo Ministro sub legitima forma concessam rei benedictæ adnectitur. Primus ex his effectibus est realis, alter est personalis: scilicet primus rei adhæret ad quemcumque locum, vel ad quamcumque personam ea devenerit: ex eo fit, ut, permissa semper donatione, aliquando hujus rei venditio aut permutatio prohibeatur omnino; generatim tamen ea tantum prohibeatur, quæ simoniam aut includat, aut sapiat. Alter ex voluntate Pontificis, mediante re benedicta, afficit personâm, pro qua eadem benedicitur [1]; adeo ut ea tantum persona indulgentiam rei adnexam lucrari valeat, et quidem sub conditione, quod servatæ fuerint leges Ecclesiæ super translatione dominii illius rei ab una in aliam personam.

1) Qui habet facultatem concedendi indulgentias, potest iisdem donare et *rem*: at in facultate benedicendi cum applicatione indulgentiarum non includitur facultas concedendi indulgentias.

Quoad hunc alium effectum, censemus has theses satis certo probari.

252. I. **Postquam res aliqua benedicta fuit cum applicatione indulgentiarum, ea non potest amplius ab uno in alium dominum transire per contractum onerosum, sub poena amittendi indulgentias adnexas.**

Probatur. Per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 4 Junii 1721 prohibitum omnino fuit, ne Cruces et Coronæ terræ sanctæ ullo modo vendi aut permutari queant, sub pœna amittendi indulgentias adnexas [1]. Porro hæc prohibitio nominatim in vigorem revocatur, pro obiectis a S. Pontifice benedictis, in Instructione jam alias citata; at simul sensu omnino generali accipiendum esse pro obiectis etiam a Regularibus aut Sacerdotibus delegatis benedictis, patet ex sequentibus S. Congregationis declarationibus:

« An qui emit Cruces, Numismata, etc. ut ea distribuat postquam benedicta fuerint cum applicatione indulgentiarum, possit horum pretium petere ab accipientibus sine culpa, vel sine periculo indulgentias amittendi? » Respondit: « Negative [2] » Iterum: « An res indulgentiis ditatæ tradi debeant fidelibus omnino gratis; ita ut si aliquid quocumque titulo sive pretii, sive permutationis, sive muneris, sive eleemosynæ requiratur, vel accipiatur, indulgentiæ ex hoc amittantur? » Respondit: « Affirmative ad utramque partem » [3]. Patet ex hac

1) Extat in *Collect. auth.* n. 78

2) S. C. Indulg. 12 Julii 1847, n. 344.

3) S. C. Indulg. 16 Julii 1887. Quod confirmatur ex sequentibus: « Episcopus Engolismensis.... exponit recenter novisse quosdam in sua diœcesi sive laicos, sive sacerdotes, bona fide Coronas per PP. Cruciferos benedictas distribuisse, a sin-

Declaratione prohiberi quemcumque contractum, qui sit vel latissimo sensu onerosus.

253. Hinc varii solvuntur casus: Si negotiator Coronarum cumulum a Pontifice, vel Religioso aut Sacerdote delegato benedici curet, quas deinde emptoribus vendat, indulgentiæ pereunt, etsi nihil ex Benedictione pretium augeat. E contra si accepta jam commissione pro determinato numero Coronarum has benedicendas curet, et dein (pretio forte nondum accepto) ad committentes destinet, indulgentiæ non pereunt. Si Parochus sibi Coronas jam benedictas procuret, aut ipsemet accepta facultate in globo benedicat, dein petentibus distribuat, nihil amplius recipiens, quam ipse pro earum acquisitione erogaverat, indulgentiæ pereunt [1]. At si Parochus, accepta a tribus collegis commissione pro determinato numero Coronarum, eas ab habente facultatem benedici curet, aut præditus ipse facultate benedicat, dein collegis distribuat, id exigens quod erogaverat, indulgentiæ non pereunt [2].

gulis eas recipientibus sive *solutas in acquisitione expensas*, sive saltem aliquam eleemosynam favore pii operis expendendam expetendo. Jamvero quum id ex decreto 12 Julii 1847 prohibitum sit, sub pœna amissionis indulgentiarum Coronis benedictis adnexarum, humiliter exorat S. V. ut Coronis usque adhuc modo supra exposito distributis, adnexæ nihilominus maneant indulgentiæ quibus ditatæ fuerunt, ne fideles ipsis utentes falso putent thesauro indulgentiarum gaudere..... SS. Dn. Leo XIII benigne annuit *pro gratia* juxta preces. » Die 15 Maji 1886. Idem defectus, quo laborant plures Coronæ a PP. Cruciferis benedictæ et in Diœcesi Veronensi distributæ, sanatus fuit per Rescriptum S. C. Indulg. 7 Februarii 1889. Cf. **Maurel** *Le Chrétien* etc. *P. II. art. VI. 87. 13.*

1) S. C. Indulg. 12 Martii 1855, n. 363.
2) Cf. *Instr. de Stat. Viæ Crucis n. 56.*

254. II. **Obiecta benedicta cum applicatione indulgentiarum possunt per contractum omnino gratuitum transire de uno in alium dominum usque ad destinatarium finalem.**

Probatur. Celebre hac de re est Decretum Alexandri VII. die 6 Februarii 1657, quo decernitur ut Coronæ, Rosaria, Numismata, Cruces, etc. quæ a Romano Pontifice benedictæ sunt, aut in posterum benedicentur, non transeant personam illorum quibus ab eodem Pontifice concessæ fuerint, vel quibus prima vice fuerint distributæ; alioquin careant indulgentiis concessis [1]. Hoc Decretum respicit quidem obiecta a S. Pontifice benedicta; sed eadem clausula dein apposita est in Summariis pro obiectis a quocumque benedictis cum applicatione indulgentiarum. Porro hoc Decreto implicite declaratur indulgentias personales esse, nempe ab ea tantum persona posse lucrifieri, quæ prima vice hæc obiecta benedicta accipiat, *animo iisdem utendi ut suis:* hanc personam dicimus *destinatarium finalem.* Hunc et non alium esse sensum Decreti, patet, inter alia, ex sequenti declaratione: « An amittant indulgentias Cruces, Coronæ, Rosaria, Statuæ, etc. quæ ante omnem usum ab una deinde in aliam, tertiam et quartam quoque manum transierint? » Respondit: « Negative » [2].

Hinc alii casus solvuntur: Episcopus potest Parochis cumulum Coronarum donare; hi easdem suis cooperatoribus distribuere, et isti demum singulas Coronas quibus placuerit donare: indulgentiæ

1) Extat integrum in *Collect. authent. n. IV.* pag. 447: idem pro Crucibus et Coronis Terræ Sanctæ decernitur a S. C. Indulg. 4 Junii 1721, n. 78. Vide et Responsa 23 Febr. 1711, n. 34, et 16 Julii 1887.

2) S. C. Indulg. 16 Julii 1887.

his personis prosunt. Verum, si quæ ex his Coronam acceperit animo utendi eâ ut sua, non potest eam alteri donare [1], nec, defuncto destinatario finali, possunt indulgentias lucrari heredes. Casus affines facile solves.

255. III. **Coronæ benedictæ cum applicatione indulgentiarum a finali destinatario non possunt alii commodari aut dari precario ad finem communicandi indulgentias, et quidem sub poena easdem indulgentias amittendi.**

Probatur. In citato Decreto statuitur : « Coronæ, Rosaria etc. a nemine aliis commodato vel precario concedi possint; alioquin careant indulgentiis concessis. » Posterius tamen accessere Decreta Clementis XI. et Benedicti XIII. ex quibus apparet tunc ejusmodi obiecta indulgentiis privari, quum aliis commodato aut precario conceduntur *animo communicandi indulgentias.* Quare si ad finem recitandi Rosarium commodentur, non videntur indulgentias adnexas amittere. Vide plura apud opus *Raccolta di pie opere. Cap. X n. 1, 5,* etc. [2].

256. C. **De Scapularibus benedicendis ac imponendis.** — Inter præcipuas christianæ pietatis devotiones collocandus procul dubio est pius usus sacrarum vestium, quæ *Scapularia* (a *scapula*, italice *spalla*), dicuntur. Eorum origo petenda esse videtur ab Ordinibus religiosis (Carmelitarum in primis),

1) S. C. Indulg. 12 Julii 1847, n. 344. Censemus idem esse dicendum, etsi possessor nondum ea Corona usus fuerit; adhuc enim vere dominium accepit animo utendi.

2) Non erit abs re sequens Declaratio: « An qui habet facultatem benedicendi Cruces, Rosaria, etc. eisque applicandi indulgentias, etiam pro se ipso Cruces et Rosaria benedicere queat, hisque utendo sibi quoque indulgentias lucrari possit? » S. C. Indulg. respondit: « Affirmative » 16 Julii 1887.

quibus jam a sæculo XIII. fideles in propria domo degendo aggregari cupientes, ut spiritualibus Ordinum bonis participarent, sub quadam speciali formula habitum benedictum juxta praxim eorumdem Ordinum assumebant: dein, quum ad usus civiles habitus hic religiosus minus congruere videretur, eidem parvus habitus subrogatus est, duabus partibus, anteriori nempe et posteriori constans, qui sub veste communi deferri posset [1]; hic a sua forma *Scapularis* nomen accepit.

257. Nunc plurima extant Scapularia, quorum pleraque indicium sunt aggregationis ad aliquam religiosam Confraternitatem, aliqua sunt tantum piæ devotionis obiecta. Pertinent ad classem primam Scapularia SS. Trinitatis, Tertii Ordinis S. Francisci, aut S. Dominici, etc: ad aliam, Scapulare cæruleum Immaculatæ Conceptionis, rubrum Passionis D. N. Jesu Christi, etc. Discrimen potissimum in hoc est, quod qui prioris classis Scapulare habent, præter indulgentias, de gratiis quoque spiritualibus Congregationis, aut Ordinis, aut Confraternitatis participant; qui vero alterius, fruuntur tantum indulgentiis quæ pro usu eorumdem concessæ sunt: quoad illos, gestatio Scapularis est quid accessorium, quamvis necessarium; quoad hos est essentiale.

Quoniam de omnibus et singulis Scapularibus tractatio et nimis foret prolixa, et exiguæ utilitatis, hinc dicemus quæ omnibus sunt communia; speciatim de quibusdam addentes quæ magis expedire videantur.

258. De essentia cujuscumque Scapularis est, ut habeat materiam et formam et colorem pro singulis

1) Cf. *Acta S. Sedis Vol. IV.* pag. 99 et seqq.

præscriptum. *a*) Quum hæc Scapularia quibus fideles utuntur, non sint nisi ipsa Scapularia variorum Ordinum propria, ad exiguam formam redacta, debent cum illis concordare, saltem in materia et forma et colore. Materia generatim debet esse lana, sive pannus, sive sagula, sive alia quævis lanea textura. *b*) Constant Scapularia duplici parte, anteriori et posteriori: vittæ, quibus hæ partes uniuntur, non spectant ad eorum essentiam; hinc iisdem vittis plura Scapularia uniri possunt: at hæc debent esse formæ quadratæ vel quadrangularis, non vero rotundæ aut ovalis [1]. *c*) Color determinatur pro singulis in Appendice Ritualis. Nihil impedit super fundum laneum coloris præscripti pingi sive pennicillo, sive acu imagines [2], vel flores ex serico, aut auro, dummodo ornamenta talia sint, quibus color præscriptus prævaleat. Quilibet defectus, quo plures receptiones laborare censebantur, sive propter defectum facultatum, sive propter defectum in forma Scapularium, sanatus fuit pro toto orbe a s. m. Pio IX. die 18 Septembris 1862 [3].

Potest quispiam plura gestare Scapularia; at in eo casu oportet singula saltem primo imposita ab habente facultate benedici, et insuper ad lucrandas indulgentias necesse est opera pro singulis præscripta peragere, et si quædam communia sint, eadem iterare, dummodo de iis operibus agatur, quæ iterari et possunt et solent. Hinc iterandæ erunt preces; non vero Communio, imo nec con-

1) Cf. Declarationem S. C. Indulg. 18 Augusti 1868, n. 423.
2) Adverte Imagines sive B. Virginis, sive Sancti fundatoris ad essentiam Scapularis non pertinere.
3) *Collect. Decr. auth.* n. 394.

fessio eadem die. Etiamsi diversa Scapularia ejusdem sint coloris et materiæ, nemo poterit bonis frui singulorum, nisi singula deferat, servata consuetudine penes diversas Confraternitates vigente [1].

259. Ministri Benedictionis variorum Scapularium erunt Superiores aut etiam Sacerdotes Regulares variorum Ordinum, ad quos eadem pertinent. Verum superiores eorumdem Ordinum, et multo magis Romanus Pontifex, possunt et Sacerdotes sæculares ad hoc munus delegare.

Qui acceperit facultatem benedicendi aliquod Scapulare, habet eo ipso et facultatem imponendi, quamvis hoc non exprimatur in rescripto. Verum pro usu utriusque facultatis, apprime servari oportet rescriptum ipsum, et generalem Instructionem S. Congregationis datam die 17 Decembris 1879 probante s. m. Pio IX. [2], præsertim ne violentur jura sive Ordinum Religiosorum, sive Episcoporum, et simul ne incurratur periculum decipiendi piam fidelium devotionem.

Vestes assumendæ sunt superpelliceum et stola: hujus color generatim in Rituali determinatur: eo silente, sumatur stola coloris officio convenientis.

260. Per acceptionem Scapularis benedicti videtur fidelis jam esse in piam sodalitatem receptus, siquidem agatur de eo Scapulari, quod sit alicujus tessera Confraternitatis. Primum quod imponitur necessario debet esse benedictum [3]; eo detrito, plerumque poterunt alia non benedicta subrogari. Qui semel legitime Scapulare accepit, nova admissione non indiget, etsi diu illud non gestaverit;

1) S. C. Indulg. 10 Junii 1886.
2) Extat apud *Acta S. Sedis Vol. VI.* pag. 330 seqq.
3) S. C. Indulg. 18 Augusti 1868, n. 421 et 27 Aprilis 1887.

satis est quod privatim resumat, nisi forte illud deposuerit animo separandi se definitive a sodalitate Scapularis.

261. **Formulæ pro singulis Scapularibus propriæ habentur in Appendice Ritualis. Porro eæ præscriptæ sunt ad validitatem**; attamen quoad substantialia tantummodo, videlicet: Benedictionem et impositionem habitus, et receptionem ad Confraternitatem [1]: cetera quæ in formulis habentur, et ipsa inscriptio materialis in albo Confratrum spectare videntur ad integritatem, ita ut Sacerdotes, sive sæculares, sive regulares, qui fideles in Confraternitatem recipiunt, præter impositionem Scapularium, teneantur eorumdem nomina in libro respectivæ Confraternitatis inscribere; quinimo ipsum privilegium Gregorianum Patribus Carmelitis concessum sub die 30 Aprilis 1838, a SS. Dno Leone XIII. revocatum fuit [2]. Num hæc et ad validitatem adscriptionis, et proinde ad consecutionem indulgentiarum pertineant, alii viderint [3].

262. **Scapulare SS. Trinitatis.** — Scapulare debet esse ex lana alba Cruce rubri cæruleique coloris signatum, ab aliquo Superiore Ordinis SS. Trinitatis benedictum, vel de ejusdem licentia a quo-

1) S. C. Indulg. 24 Augusti 1844, n. 329. At Scapulare S. Cordis Jesu ex lana alba cum Imagine SS. Cordis nulla indiget Benedictione. Ex Brevi s. m. Pii IX. 28 Octobris 1872 et 28 Junii 1873.

2) Per Decretum S. C. Indulg. 27 Aprilis 1887.

3) Cf. *Acta S. Sedis Vol. IV.* pag. 237. Dicitur Leo XIII die 20 Julii 1884 concessisse « ut adscripti cum aliquo defectu, ut in precibus (nempe quoad receptiones invalidas ad sodalitatem vel unionem Scapularis cujuscumque bona fide peractas), abhinc indulgentias singulis Scapularibus proprias lucrari valeant. » Apud **Lehmk.** *Op. cit. II. 560.*

cumque alio Sacerdote. Quando hoc adeo sit attritum, ut formam amiserit, amittit eo ipso Benedictionem; si renovetur debet iterum benedici, similiter si aliud non benedictum assumatur. Non potest vicem Scapularis supplere panniculus Cruce munitus qui sit vestibus insutus [1]. Sacerdos benedicens et imponens utitur superpelliceo et stola albi coloris.

263. **Scapulare nigrum Ss. Crucis et Passionis D. N. J. C.** — Hoc Scapulare compendium est illius sacri indumenti, quod S. Paulus a Cruce cœlitus accepisse fertur, dum de sua Congregatione instituenda cogitabat [2]. Debet esse ex lana nigra, cum alba Cruce, et SS. Nomine Jesu albis itidem literis impresso.

Benedicendum est ab aliquo Superiore Congregationis Passionistarum, vel ex ejusdem delegatione a quolibet Sacerdote. Vestes assumendæ sunt superpelliceum et stola coloris rubri.

264. **Scapulare B. Mariae Virginis de Monte Carmelo.** — Forte est omnium antiquissimum, et originem habet ab apparitione B. Mariæ Virginis ad B. Simonem Stok a. 1251 [3]. Ejus materia lanea debet esse, coloris aut nigri aut castanei; velum superius cui impressa sit Imago B. M. Virginis non est de essentia Scapularis.

Accipiendum est a Sacerdote S. Ordinis Carmelitani, vel a Sacerdote legitime delegato: super humeros semper deferendum est; et si fuerit attritum,

1) S. C. Indulg. die 29 Aprilis 1716, n. 60. Hoc postremum de aliis quoque Scapularibus dicendum videtur.

2) Vide ejus Vitam apud **Surium** *Vitæ Sanctorum, die 28 Aprilis, §. 6.* (Ed. Taur. 1875).

3) Cf. **Benedict. XIV.** *De Festis B. M. V. L. II. cap. VI.*

aliud etiam non benedictum sine ulla cæremonia assumendum erit.

Sacerdos benedicens assumit superpelliceum et stolam albi coloris. Formula benedicendi ac imponendi duplex habetur: alia antiquior solemnior quæ extat in Appendice Ritualis: alia brevior recentius approbata a S. Rituum Congregatione [1]. Hoc Scapulare honoris et devotionis causa separatim benedicendum et imponendum est; nec amplius conceditur Indultum uniendi ipsum (utique in actu benedictionis et impositionis) cum aliis quatuor vel pluribus Scapularibus.

265. Sodales hujus Confraternitatis fruuntur quoque eo privilegio quod *Sabbatinum* nuncupatur. De quo ita statuitur in Decreto S. Inquis. 20 Jan. 1613: « Patribus Carmelitanis permittitur prædicare, quod populus christianus possit pie credere de adiutorio fratrum et confratrum Sodalitatis B. M. V. de Monte Carmelo, videlicet B. Virginem animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, et castitatem pro suo statu coluerint, officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiæ iejunia observaverint, et feria quarta et sabbato a carnibus abstinuerint (nisi Nativitas Domini inciderit), suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, *præcipue in die Sabbati,* qui dies ab Ecclesia eidem B. Virgini dicatus est, adiuturam »[2].

266. **Scapulare cæruleum Immaculatæ B. M. V. Conceptionis.** — Originem habet ex appa-

1) S. R. C. 24 Julii 1888. Extat apud *Acta S. Sedis. Vol. XXI.* pag. 433.
2) *Rescripta authent.* Summ. n. 34.

ritione B. Mariæ V. ad Ven. Ursulam Benincasa. Proprium vero est Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum; at ex concessione s. m. Pii IX die 19 Septembris 1851, a Præposito Generali ejuden Congregationis delegari potest Sacerdos quilibet, sive sæcularis, sive regularis.

Vestes sacræ pro Ministro sunt superpelliceum et stola albi coloris: formula habetur in Appendice Ritualis.

Hoc Scapulare panno vel sagulo cærulei coloris efformari debet; quæ autem panno vel sagulo coniungi solet Imago B. Mariæ V. habenda est ut ejusdem ornatus, quo Christifidelium pietas magis magisque excitetur. Diu noctuque super humeros gestari debet: quum prius Scapulare benedictum obsoleverit, aliud est subrogandum, quod Benedictione non eget. Imponi potest etiam infantibus, ita ut dein usum rationis adepti indulgentiis aliisque privilegiis frui possint ac valeant [1].

267. Præter indulgentias statis quibusdam diebus lucrandas, habetur specialis concessio, certe authentica [2], ut qui deferens hoc sacrum Scapulare recitet sex *Pater Ave* et *Gloria* in honorem Ss. Trinitatis et B. Mariæ Virginis sine labe conceptæ, ad consuetos pios fines orando, lucretur *toties quoties* omnes indulgentias septem Basilicarum Urbis, Portiunculæ, Jerusalem, et S. Jacobi Compostellæ, quin opus sit alias addere preces, vel Sacramenta suscipere, vel Ecclesiam visitare; servato tamen decreto Innocentii XI. « *Delatæ sæpius.* »

Quæres: Quæ et quot sint hæ indulgentiæ?

1) S. C. Indulg. 29 Augusti 1864, n. 410.
2) S. C. Indulg. 14 Aprilis 1856, n. 374.

Respondeo : Omissis partialibus, hæ sunt plenariæ : 1.° Pro visitatione septem Basilicarum Urbis, concessæ quidem sunt *plurimæ* indulgentiæ; at utrum partiales sint, an plenariæ, id nullibi dicitur. Quare Pius IX s. m. ut specialis esset quædam indulgentia plenaria, eam concessit lucrandam semel in die, quoties quis, confessus et S. Communione refectus, septem Basilicas visitaret etc. [1]. 2.° Pro visitatione Ecclesiæ Portiunculæ habetur quidem indulgentia plenaria lucranda *toties quoties* unâ eademque die; at profecto qui semel recitet sex *Pater*, *Ave* et *Gloria* nonnisi semel hanc indulgentiam lucratur. 3.° Quæ sint indulgentiæ Jerusalem et S. Jacobi in Compostella nullibi determinatur, nec ulli licet publice edicere, quæ et quot hæ sint. Ergo indulgentiæ plenariæ, quas lucrari *certo* quis potest, sunt tantummodo duæ: incertæ possunt esse plures [2].

Quæres: Num quis possit has indulgentias lucrari *toties quoties* recitat sex *Pater Ave* et *Gloria*, etiam pluries in die?

Respondeo : Videretur negandum, quum Pius IX edixerit servandum esse quoad hanc concessionem Decretum « *Delatæ sæpius*, » juxta quod hæc indulgentia nonnisi semel in die concessa esse videtur [3]. Hanc limitationem non habet omnino certam Lehmkuhl, Op. cit. II. 571 in nota.

1) Decreto 26 Januarii 1866.

2) Quod per hanc recitationem lucrifieri possint indulgentiæ plenariæ quingentæ ac triginta tres, id S. Alphonsus desumpsisse videtur ex aliquo libello a PP. Theatinis edito antequam abusus vulgandi exaggeratas indulgentias per Breve Benedicti XIV a. 1756 compesceretur. Ceterum, quæ nunc existant indulgentiæ, unice colligi potest ex duplici Collectione Decretorum et Rescriptorum S. Congregationis (Ratisb. 1883, 1885), et ex opere authentico *Raccolta di orazioni e pie opere*, etc.

3) Cf. **Rombaut** *L'indulg. della Porziunc. C. XI.* (Asolo. 1880).

268. **Quatuor Scapularia** simul conjuncta specialem habent Benedictionem, quæ propria est Sacerdotum Congregationis SS. Redemptoris. Ab initio hujus sæculi in usu esse cœpit simultanea et compendiosa traditio quatuor Scapularium, scilicet SS. Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Immaculatæ Conceptionis, et septem Dolorum ; quibus nuper additum est quintum Passionis D. N. Jesu Christi.

Verum recenti S. Congregationis decreto ab ista Scapularium conjunctione, honoris specialis causa, exceptum est Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo [1]. Quoad reliqua vero id exigitur, ut sint vere quatuor Scapularia, sive totidem, sive duobus tantum funiculis unita, ita ut cujuslibet Scapularis pars una ab humeris, alia vero a pectore pendeat, non vero unum tantum Scapulare, in quo assuantur diversi coloris panniculi. Eorumdem simultanea Benedictio et impositio fieri debet juxta ritum, qui habetur in Appendice Ritualis. Fideles, qui legitime hæc Scapularia accipiant, participes fiunt bonorum spiritualium et indulgentiarum, quibus prædicti Ordines seu Congregationes pollent [2].

269. Pro ceteris Scapularibus, sive concessis, sive concedendis, item pro cincturis ac cingulis benedicendis ac distribuendis, sufficiat Rituale vel ejus Appendicem attendere, præ oculis habendo quæ generatim ab initio servanda esse notavimus.

1) S. C. Indulg. 27 Aprilis 1887.

2) Quum ex his unum tantum Scapulare Immaculatæ Conceptionis speciale habeat privilegium indulgentiarum pro recitantibus sex *Pater, Ave, Gloria*, vix aut ne vix quidem intelligi datur, qua ratione in opuscolo *Il piccolo tesoro spirituale* (Piacenza 1882) post tot S. Congregationis Decreta, indulgentiæ Scapularibus quinque (idest quatuor) concessæ ad plura centena evehantur.

Pro Christifidelibus adscribendis Tertio Ordini S. Francisci habetur proprium Cæremoniale approbatum a S. R. Congregatione die 18 Junii 1883; in quo, præter ritum benedicendi ac imponendi habitum et chordam, habentur etiam ritus admittendi ad religiosam professionem, ac largiendi benedictiones a S. Pontifice pro determinatis diebus concessas. Ad illud proinde remittimus lectorem; hoc tantum monemus, pro largienda Tertiariis S. Francisci Benedictione papali et Benedictione apostolica *in articulo mortis* adhibendas esse exclusive formulas pro ceteris fidelibus concessas, addito tantum ad *Confiteor* nomine S. Fundatoris Francisci [1].

1) Vide quæ dicta sunt superius n. 201.

TITULUS III.

DE PROCESSIONIBUS.

CAPUT I.

Notiones præviæ.

270. Processio, prout hoc nomine ritus sacer indicatur, est « publica supplicatio Deo facta a Clero et populo christiano ordinatim de loco sacro ad locum sacrum incedente ». In hac autem definitione, duo spectant ad essentiam Processionis, nempe quod ea supplicatio publice fiat, seu a Ministris Ecclesiæ qua tales sunt, et quod de loco ad locum procedatur; cetera spectant ad ejusdem complementum.

Quandonam et quonam institutore Processiones inter sacros ritus connumeratæ fuerint, non satis constat. Certe in usu publico fuerunt sæculo IV. statim ac Ecclesia suam adepta est libertatem [1]; at probabile est et antea eas locum habuisse formâ licet humiliori; imo quidam putant Apostolos ipsos, in exemplum Liturgiæ Mosaicæ, sacras Processiones instituisse [2]. Occasio prima Processionum ea fuisse videtur, quod Clerus et populus cum Episcopo statis diebus solerent sacros conventus in variis sacris ædibus celebrare, ad quas proinde ex loco aliquo

1) Cf. *Peregr. Silviæ*, apud **Duchesne** *Origines de culte Chrét.* p. 472; **S. Ambrosius** *Epist. XXIX* (ed. Med. XL).
2) Cf. **Christ. Lupus** in Diss. *De Sacris Process. cap. I.* et **Baronius** *a. 58 et 398.*

proximiori ordinatim procedebant: sacer ille conventus *Statio* appellabatur [1], quo nomine posterius ipsa quoque Processio intelligebatur. Processiones non stationales institutæ esse videntur tantummodo sæculo VI.

Processiones, ex precibus quæ procedendo recitantur, dicuntur quandoque *Litaniæ* vel *Supplicationes*. Distinguuntur autem, ita ut quædam ordinariæ sint, certis nempe diebus vel festis assignatæ, quædam extraordinariæ; item aliæ sint generales, aliæ particulares; aliæ demum lætæ, aliæ tristes, etc.

271. Quam piæ ac populo christiano utiles esse debeant Processiones, nemo non videt. In primis enim per eas Deum cœli ac terræ rerumque omnium Dominum supremum testamur ac solemniter recognoscimus; vexillum S. Crucis publice et honorifice, velut in triumphum, deferimus; fidem nostram aperte coram mundo profitemur; communem peregrinantium conditionem, qua in futuram civitatem æternamque patriam tendere debemus, in nostram aliorumque memoriam revocamus. Ceterum hodiernæ incredulitatis odium exitiale in sacras Processiones evidens est earumdem pietatis ac utilitatis argumentum [2]. De quibus aliisque utilitatibus Parochi opportune monebunt data occasione fideles, ut eosdem hortatur Rituale Romanum Tit. IX. cap. I. n. I.

1) Nomen *Statio,* prout occurrit in monumentis sæculorum II. et III., significare videtur conventus sacros compossibiles cum semijejunio; in quibus nempe non celebrabatur Sacrificium (feriæ quarta et sexta erant *aliturgicæ*), licet adstantes possent communicare ex præsanctificatis. Vide *La Civ. Catt. ser. XIV. Vol. I.* pag. 202. At sæculo IV. conventus quoque liturgici veniunt nomine *Stationis;* adeo ut et ipsum verbum *procedere* (sacro arcano servato) Sacrificium Eucharisticum adsignificet. Cf. **Duchesne,** *Op. cit.* pag. 471, 479.

2) Cf. **Quarti** *De Process. Tract. I. Punct. 10.*

272. Quod Ecclesia jus habeat instituendi sacras Processiones easque per vias publicas ducendi independenter a civili potestate, doctrina certissima est; ex ipsa Ecclesiæ constitutione per voluntatem Christi determinata; ex fine quem Ecclesia intendit promovendi cultum divinum ac spirituale bonum animarum; ac demum ex relationibus quæ inter Ecclesiam et potestatem civilem necessario intercedunt. Hinc nonnisi per apertam injuriam auctoritas civilis libertatem Ecclesiæ in hac re cöercere prætenderet [1].

Præcisione facta a R. Pontifice, jus indicendi ac prohibendi Processiones spectat ad Episcopum. Si agatur de ordinariis, seu de iis quæ in Rituali aut Missali præscribuntur, aut legitima jam consuetudine sunt introductæ, istæ fieri possunt ab Ecclesiis Collegiatis et Parochialibus, etiam inconsulto (non vero prohibente) Episcopo: item quæ intimentur, aut concedantur Decreto generali sive Episcopi, sive R. Pontificis. Ceteræ fieri nequeunt absque Episcopi facultate, præsertim si et Ordines religiosi, vel Confraternitates debeant ad ipsas invitari.

273. Eo ipso quod absque Clero, qua tali, Processio non intelligitur, necesse est ut Clerici vestibus sacris induti procedant; nempe superpelliceo omnes; qui vero præest, saltem et stola: si hic habeat etiam pluviale (quod proprie est vestis processionalis) super amictum et albam, tunc et Ministri adsistant induti dalmatica et tunicella; omnes vero et semper absque manipulis. Color sacrarum vestium respondebit indoli Processionis; generatim violaceus erit, præterquam in Processionibus SS. Sa-

1) Cf. **Cavagnis** *Inst. Juris Publici Ecclesiastici L. IV. Cap. II. art. III. n. 221. seqq.*

cramenti, et quæ fiunt solemnibus diebus, aut cum Reliquiis Sanctorum, vel in gratiarum actionem, in quibus color respondebit solemnitati [1].

Regulares, si invitentur, tenentur et ipsi Processionibus interesse, iis exceptis qui in strictiori clausura perpetuo vivunt [2]; assumant superpelliceum, nisi sint mendicantes.

Curandum quoque, ut interveniant Confraternitates laicales cum vestibus propriis; demum et laici omnes, viri ac feminæ, licet hinc non pendeat essentia Processionis.

Quotquot Processioni intersunt prohibentur ex Rituali uti galero, quippe qui profanum nimis sapit; et expositores, rigidiores hac in re quam Rituale, monent, ut si pluvia actu decidat, Processio non fiat; si ea tantum timeatur, Clerici secum deferant birretum sacerdotale, quo aliquando in Processionibus uti licet. Quid hac de re nobis videatur, suis in locis dicemus.

274. Monet item Rituale ut omnes bini *suo loco procedant.* Quum scilicet Processionibus intersint Clerici et sæculares et regulares, item Confratres, et laici quoque viri ac feminæ, debitus inter omnes servandus est ordo præcedentiæ, prout per decreta SS. Congregationum aut Episcoporum, vel per legitimas consuetudines stabilita fuit. Quoad hunc ordinem locus præeminens est ille, quem tenet Celebrans; ideoque præcedentia consistit in majori vel minori distantia a Celebrante. Generatim hic est ordo: Primum locum tenet Clerus sæcularis; secundum Clerus regularis, tertium Confraternitates [3]; dein singuli Christifideles sequuntur, viri et feminæ.

1) Cf. *Rit. Rom. Tit. IX. cap. 4. n. 1, et cap. 14.*
2) *Conc. Trid. sess. XXV. cap. XIII. de Regul.*
3) S. R. C. 7 Augusti 1621, n. 389.

Quoad Clerum sæcularem, si Processio fiat particularis Ecclesiæ, nullus locus erit dubitationibus. Si fiat Processio Ecclesiæ Cathedralis, præcedentia competit Clero Cathedralis ipsius, et proinde etiam Clericis minoribus servitio ejusdem addictis; succedit Clerus Ecclesiarum Collegiatarum; tertium locum tenent Parochi; quartum Clerici Seminarii; postremum Clerici adventitii [1].

Quoad Clerum regularem, præcedentiam habent Monachi super Mendicantes [2]. Inter diversos Ordines ejusdem classis spectatur antianitas in loco.

Quoad Confraternitates, præcedentiam habet Confraternitas SS. Sacramenti, si cum SS. Sacramento fiat Processio; secus spectanda antianitas [3]. Verum « Tertiariis Franciscalibus cœtum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub Cruce incedentibus, jus inest super quascumque sodalitates laicas, » etiam super Confraternitatem SS. Sacramenti [4]. Ceterum qui plurima cupit, hodie forte minus necessaria quam olim, conferat *Manuale Decretorum S. R. Congregationis* editum a P. Martinucci. Cap. VIII. et IX.

Quoad laicos, sic jubente Rituali, feminæ a viris separatæ orantes prosequantur. Et quidem rectus ordo postularet, ut hi præ illis præcedentiam habeant; at si alicubi consuetudo sit, ut viri ante Celebrantem, feminæ post ipsum incedant, vel quilibet alius usus sine contentionibus vigeat, Parocho nihil erit immutandum. Quum in oppido quodam

1) S. R. C. 1 Sept. 1607, n. 238, 21 Martii 1620, n. 377, 19 Jan. 1704, n. 2126, 7 Sept. 1816, n. 2570, 17 Julii 1830. n. 2679.
2) S. R. C. 23 Martii 1619, n. 374.
3) S. R. C. 18 Junii 1639, n. 682, 20 Septembris 1687 n. 1789 17 Jan. 1887, n. 3668.
4) S. R. C. 28 Maji 1886 n. 3664.

feminæ nobiles immediate post nobiles viros incedere vellent, S. Congregatio interpellata respondit « Rituale requirere, ut post Clerum viri a feminis separatim incedant ; ceterum quoad locum et modum eundi nihil statuisse » [1].

275. Ad essentiam Processionis necessario requiritur, ut transitus fiat de loco ad locum ; at major vel minor distantia nihil interest : nec proprie requiritur, ut transitus fiat de loco sacro ad locum sacrum ; satis erit quod sacer sit, aut terminus *a quo*, aut terminus *ad quem* fit Processio. Omnes, tum Clerici, tum laici, bini procedunt, sive ut alter alteri sit incitamentum ad pietatem, sive ut in psallendo quisque socium habeat qui psalmodiam alternet, et sibi respondeat. Maxime attendenda et in praxim deducenda sunt monita, quæ habentur in Rituali num. 2 ac 3, quæque evidenter non tam laicis, quam Sacerdotibus aliisque ecclesiastici ordinis diriguntur. Omnes nempe eâ modestiâ ac reverentiâ procedant, quæ piis et religiosis actionibus maxime debetur; ac ita sacris precibus sint intenti, ut remoto risu, mutuoque colloquio et vago oculorum aspectu, populum etiam ad pie devoteque precandum invitent.

276. In capite Processionis Crux præferatur cum Imagine Crucifixi, quæ tergum vertat Celebranti [2].

1) S. R. C. 31 Maji 1642, n. 797. Concentus musicales, si qui sunt, ante utrumque clerum tenent locum. *Cæremon. Episc. L. II. C. 16, n. 15.* Cf. **A Carpo.** *Comp. Bibl. Lit. P. V. n. 130.*

2) Si Crux archiepiscopalis vel papalis deferatur, Imago Archiepiscopum vel Pontificem respiciet. Adverte Crucem præferendam esse Clero et Confraternitatibus · si ante illum et has habeantur laici vel feminæ, laudabile quidem est, ut vel alia Crux, vel sacrum vexillum præcedat.

Omnis Clerus sæcularis sub una eademque Cruce procedat; quæ propria erit Ecclesiæ Cathedralis, si hujus Clerus intersit; secus propria erit Ecclesiæ, cujus fit Processio. Verum si legitima habeatur consuetudo, poterit quilibet Clerus sub propria Cruce incedere [1]. Ordines vero religiosi habeant singuli Crucem propriam; et sub propria Cruce vel vexillo procedere poterunt Confraternitates.

Crux Cleri illius, cujus fit Processio, (vel Cathedralis) deferenda est regulariter a Subdiacono paramentis proprii ordinis induto, præter manipulum. Quod Crucem comitentur duo Clerici candelabra cum candelis accensis gerentes, id quidem Rituale non decernit; verum adeo commune est in Ecclesiis Urbis aliarumque Diœcesium, ut veluti lex consuetudine inducta habenda sit: auctores omnes aut deferenda candelabra docent, aut deferri supponunt.

277. Vexilla, quæ expresse in Rituali probantur, sunt ea quæ formam habent quadrangularem, et repræsentant Virginis aut Sancti alicujus effigiem vel quodcumque mysterium, et unica vel duplici hasta deferri solent: ea vero quæ formam habeant triangularem (vulgo *stendardi*) minime sunt Rituali Romano conformia. Verum paulisper a Rubricis Ritualis deflexum esse videtur consuetudine ferme universali, quæ inducta est vidente ac tacente Ecclesia. Eorum origo petenda est ex praxi Basilicarum Urbis, quæ sic dicta *Tentoria*, vel *Papiliones* ex antiquissimo usu ante Processiones deferunt; ad horum enim imitationem cœperunt aliæ Ecclesiæ vexilla formæ triangularis adoptare. Apposite Grancolas: « Vexillum quod gestatur hodie, est quædam

1) S. R. C. 8 Martii 1825. n. 2641.

contracta species veteris rotundi tentorii, quod ante Processiones deferebatur, ut a pluvia, si quando deflueret, Clerus protegeretur » [1]. Hæc vexilla, cujuscumque formæ sint, quum et B. Virginis aut Sanctorum Imagines præferant, et jam per se in sacrum usum sint constructa, non videntur de necessitate benedicenda, licet ea benedici maxime deceat [2].

278. Quæres : Quid censendum de vexillis (vulgo *bandiere*), quæ aut alicuius nationis vel municipii, aut diversarum societatum sint insignia ?

Respondeo : 1° Quoad vexilla societatum, hæc breviter dicimus : *a*) Quæ generatim statuuntur de vexillis quoad ingressum in Ecclesiam, eadem dicenda sunt quoad sacras Processiones. *b*) Ut vexilla quæpiam possint in Ecclesiam iutroduci, necesse est sacra esse, sive ex ipsa sui destinatione, sive ex ecclesiastica Benedictione. *c*) Ut vexilla societatum, quæ sacra destinatione non sunt, sacra fiant Benedictione, necesse est ea spectare ad societates quarum statuta ab auctoritate ecclesiastica approbata fuerint, ab eaque aliquo modo dependeant, et aliquod religiosum signum, nullum vero reprobandum emblema præseferant [3]. Quæ conditiones, quum per se requirantur ad valorem Benedictionis, exigendæ quoque sunt pro vexillis, quæ fuerint quovis tempore benedicta ; si enim eisdem conditionibus carebant, eorum Benedictio invalida fuit ; vel, quidquid sit de Benedictione, certe sacris ritibus interesse non possunt [4].

1) **Grancolas.** *In Brev. Rom. Lib. II. Cap. 74 De Rogation.*
2) Formula benedicendi habetur in Appendice Ritualis.
3) Hæc ex Decreto S. U. Inq. 3 Septembris 1887.
4) Cf. *Ephem. Liturg.* a. 1888, pag. 509, seqq. et a. 1889, pag. 299 seqq.

2.° Quoad vexilla quæ sunt insignia nationis, municipii, copiarum militarium, etc. dato etiam quod nullum emblema reprobandum præseferant, Benedictione tantum invocativa benedicuntur ; ergo eadem, licet benedicta, nullatenus obiecta sacra dici possunt, ac proinde ab Ecclesiis et sacris Processionibus excludenda esse videntur.

279. In egressu Processionis ab Ecclesia, si SS. Sacramentum in Altari majori asservetur, et in Processione SS. Sacramentum non deferatur, omnes tum laici, tum Clerici antea genuflectunt præter Cruciferum et ceroferarios qui adstant eidem : idem servandum est, si ante Altare SS. Sacramenti processionaliter transeundum sit [1]. Si tempore Processionis Missa in aliquo Altari celebretur, non pulsetur ad elevationem campanula; at si hæc imprudenter pulsetur, consistant omnes, et in loco suo utroque genuflectant, quousque Sacerdos SS. Sacramentum super Altare reposuerit. — Eædem normæ et in reditu serventur.

280. Reprobatur a Rituali mos alicubi introductus deferendi secum in Processionibus, præsertim Rogationum, esculenta ac poculenta, vel eadem quibusdam in locis sumendi a vicinis oblata. Verum distinguantur abusus ab usibus piis : certe illos abolere voluit Rituale, non istos ; quum Ecclesia ipsa sæpe per Episcopos acceptaverit pia legata ad hunc finem a testatoribus relicta, et quandoque propter ingentem distantiam vera necessitas habeatur vires reficiendi. Spectabit ad Parochorum prudentiam cavere, ne occasione pietatis aut necessitatis irrepant ea, quæ sacros ritus minime decent.

1) Cf. **Martinucci.** *Man. SS. Cærem. L. II.*

CAPUT II.

De Processione in Festo Purificationis B. M. V.

281. Festum Purificationis B. M. Virginis videtur antiquissimum esse inter festa Deiparæ, in memoriam præsertim divini Infantis Deo in templo præsentati. Solemnis vero Candelarum Benedictio ac Processio institutæ esse videntur a Gelasio Pontifice circa finem sæculi V., qui hac ratione studuit pudenda lupercalia vel amburbalia abolere; eorum nempe reliquias in obsequium B. Mariæ Virginis ac spiritualem christianorum utilitatem convertendo [1]. Quandoquidem ante Processionem fit Candelarum Benedictio, quæ et ipsa inter Sacramentalia recensetur, ideo de utraque agemus.

282. **Benedictio Candelarum** non spectat ad jura parochialia; ac proinde Minister esse potest quilibet Sacerdos, dummodo jus Parochi non violet ratione Ecclesiæ Parocho subiectæ; at idem debet esse Sacerdos qui Candelas benedicit, ac dein Missam celebrat [2]. Obiectum Benedictionis sunt Candelæ ex cera; quæ materia ad valorem Benedictionis essentialis esse videtur. Cera, utpote ab apibus formata, quæ antiquitus ut symbolum virginitatis habitæ sunt, virginitatem Deiparæ repræsentat; lumen nobis repræsentat Filium, qui lux mundi est ad omnes homines illuminandos [3]. Olim Candelæ benedicendæ offerebantur a fidelibus; nunc sive

1) Cf. **Benedictus XIV.** *De Festis B. M. V. Cap. II.*
2) S. R. C. 1. Sept. 1838, n. 2783. 23 Sept. 1848, n. 2976, ad VIII.
3) **B. Ivo Carnotensis** apud **Benedictum XIV.** Op. cit.

fidei infirmitate, sive Episcoporum decretis, inductum est ut sumptibus aut Ecclesiæ, aut Parochi comparatæ fidelibus distribuantur. Utcumque sit, Parochus de sanctitate hujus ritus et efficacia Benedictionis fideles edoceat; eos quoque moneat hanc Benedictionem esse constitutivam, et ideo Candelis benedictis non in usum profanum, sed in pios ac spirituales tantum tuendum esse, ex. gr. ad tempestates repellendas, ad auxilia divina moribundis obtinenda et similia [1].

Sacerdos benedicens induatur amictu, alba cum cingulo (etsi absque Ministris benedicat), stola et pluviali coloris violacei; Ministri amictu et alba cum cingulo, quibus Diaconus addit etiam stolam transversam: in Ecclesiis Cathedralibus aliisque majoribus utuntur insuper planetis plicatis [2].

In accessu ad Altare præcedunt thuriferarius et alter Clericus deferens vasculum Aquæ benedictæ; dein ceteri Clerici sequuntur, demum Celebrans inter duos Ministros fimbrias pluvialis sustinentes. Facta in plano profunda capitis inclinatione (ceteris omnibus genuflectentibus), vel genuflexione, si in Altari SS. Sacramentum conservatur, Celebrans cum Ministris ascendit Altare, eoque osculato accedit ad cornu Epistolæ, ibique, semper ad Altare conversus, cantat *Dominus vobiscum* et orationes in tono feriali, manibus junctis ante pectus, caput inclinans Cruci ad *Orenus* et nomen *Jesu*, Missali ad nomen *Mariæ*; dum signum Crucis extendit super Candelas, sinistram ponet super Altare, Diaconus vero fimbrias pluvialis elevabit. Post quintam orationem Cele-

1) Contra tamen **Scavini**. *Theol. Mor. V. III. n. 214*, (ed. 1890).
2) Quoad hoc etiam Ecclesiæ Parochiales veniunt sub nomine Ecclesiarum majorum. S. R. C. 23 Apr. 1875, n. 3352, ad VII.

brans immittit incensum in thuribulo, Diacono cum osculis more solito ministrante; dein accepto aspersorio, Candelas aspergit ter dicens submissa voce antiphonam *Asperges me*, mox easdem thurificat nihil dicens [1].

283. Completa Benedictione, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique ad populum conversus a digniore Sacerdote, si quis Sacerdos adsit præter eum qui officio Diaconi vel Subdiaconi fungitur, Candelam accipit, utroque eamdem osculante, neutro manum alterius. Si nullus adsit Sacerdos officio Ministri non fungens, Candela Celebrantis jam benedicta ponatur ab aliquo Clerico super mensam Altaris, a quo Sacerdos ipse eam sua manu accipiet genuflectens, et Clerico conservandam tradet. Post hæc, idem Celebrans distribuit Candelas prius Sacerdotibus præsentibus, dein Diacono et Subdiacono, demum Clericis et laicis ex ordine incipiens a cornu Epistolæ. Singuli accipientes osculabuntur prius Candelam, dein manum Celebrantis [2]; mulieres Candelam tantummodo, siquidem admittantur; quidam enim eas non admittendas dicunt [3].

Interim a choro cantatur antiphona *Lumen* cum sequentibus versibus usque ad repetitionem ejusdem

1) Si extra hanc diem Candelæ benedicantur, adhibenda est formula Ritualis *Tit. VIII. cap. 3.*

2) S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3139. Distributio juxta Rituale facienda est in Ecclesia: quod a Parocho per domos deferatur, id a Congr. Epp. et Regg. et pluribus Synodis particularibus improbatum fuit apud **Ferraris** *Biblioth. can.* v. *Candelæ.* — Quæ diximus de Benedictione et distributione Candelarum, eadem quoad summam rei applicari possunt Benedictioni et impositioni cinerum, quæ fit in Capite Quadragesimæ: horum impositio ad modum Crucis, licet *præter rubricas,* servari posse videtur.

3) Cf. **Fumagalli** *Manuale Vol. I. P. II. Cap. VI. §. 2.*

antiphonæ inclusive. Post completam distributionem, et non antea, cantatur antiphona *Exsurge*, ascendente interim Celebrante ad Altare, ubi ipse eam antiphonam legit submissa voce, orationem vero sequentem cantat in tono Missæ ferialis. Si Benedictio fiat post septuagesimam, et non in Dominica, dicto a Celebrante *Oremus*, Diaconus genuflexus cantat *Flectamus genua,* Subdiaconus vero genuflexus cum Diacono, at primus se erigens, respondet *Levate*. Ex rubricistis quidam volunt Ministros tunc recedere debere post Celebrantem, quidam eosdem suo loco consistere jubent.

284. **Deinde fit Processio** — Hæc Processio, quacumque fuerit occasione instituta, profecto eam mirabilem Processionem nobis repræsentat, qua B. V. Maria deferens in ulnis divinum Infantem, ac B. Joseph e sancta domo sua ad templum accedentes ibidem obvium habuere justum Simeonem ac prophetissam Annam; quem sanctarum personarum occursum Græci sub nomine *Hypantes* vel *Hypapantes* a primis sæculis celebrare consueverunt. Præclare S. Bernardus: « Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo Mater inducit: Joseph quoque sistit Domino non suum, sed ejus Filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem expectabat, Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna Processio celebrata est, quæ postmodum exsultatione universæ terræ in omni loco et ab omni gente celebraretur .... Nullum ibi locum peccator habuit: omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed numquid hos tantum salvabis, Domine? Crescat corpus, crescat et miseratio » [1].

1) **S. Bernardus.** *In Purif. B. Mariæ. Sermo 1.*

285. Processio instituenda est a Clero tantum, et per breve spatium extra Ecclesiam, nisi alicubi aut diversa vigeat consuetudo, aut aliud exigat necessitas. Celebrans in medio Altari, Ministris de more adsistentibus, incensum ponit in thuribulo; mox Subdiaconus facta genuflexione descendit per breviorem ex Altari, et accepta Cruce medius sistit inter ceroferarios. Diaconus Candelam accensam præbet Celebranti cum osculis, et suâ quoque acceptâ, a tergo Celebrantis ad populum conversus cantat *Procedamus in pace*; cui Clerus respondet *In nomine Christi, Amen.* Tum Celebrans et Diaconus e suppedaneo descendunt, et facta ibidem capitis inclinatione erga Crucem (Diaconus genuflectit), aut genuflexione erga SS. Sacramentum, caput cooperiunt, a cæremoniario nutum procedendi expectantes. Juxta P. A. Carpo Diaconus detecto capite incedit.

Præcedit thuriferarius; sequitur Subdiaconus cum Clericis ceroferariis: dein veniunt Clerici et Sacerdotes Candelam accensam manu extima deferentes, postremo Celebrans, et ab ejus sinistris Diaconus, deferens manu sinistra Candelam, dextera pectori admota. In Processione cantantur antiphonæ Ritualis et, si opus sit, ex integro aut ex parte repetuntur: ad ingressum Ecclesiæ, vel in accessu ad Presbyterium, si Processio intra Ecclesiam habita sit, canitur responsorium *Obtulerunt* cum reliquis. Quum Processio in Presbyterium pervenerit, idest postquam Celebrans in plano aut reverentiam aut genuflexionem peregit, Subdiaconus Crucem deponit, Candelæ extinguuntur; dein Celebrans et Ministri ad cornu Epistolæ recedentes, ibi paramenta assumunt albi coloris pro Missa celebranda. Missa solemnis celebratur more solito; at ad Evangelium

et a Consecratione ad Communionem inclusive Clerici et Sacerdotes Candelas accensas in manibus tenent, extra casum quo translato Festo Purificationis, Missa dicenda sit de Dominica secundæ classis. Etenim si forte Festum Purificationis, propter occurrentiam Dominicæ privilegiatæ, aut duplicis primæ classis transferatur, tamen Benedictio et Processio fiunt die secunda.

286. In Ecclesiis minoribus, ubi sacri Ministri haberi nequeant, Celebrans utatur Clericis, vel pueris habitu clericali indutis, qui non modo thuribulum et vas Aquæ benedictæ, sed et Crucem deferant in Processione. Deficientibus vero cantoribus, poterit post Processionem celebrare Missam privatam; quinimo in eo casu poterit et in Benedictione et in Processione omnes orationes et versiculos recitare absque cantu.

CAPUT III.

De Processione in die Palmarum

287. Processio hujus diei in memoriam solemnis triumphi, quo D. N. Jesus Christus, plaudentibus turbis, Jerosolymam ingressus est die sexta, antequam ex eadem urbe in Calvarium Crucem humeris gestans procederet, primum instituta fuit in Ecclesia Jerosolymitana [1], dein per omnes alias et orientis et occidentis propagata.

288. **Benedictio Palmarum**. — Materia hujus Benedictionis sunt rami palmarum, vel olivarum; at

1) *Peregrinatio Silviæ* (ed. Gamurr.) pag. 91. Cf. et **Gueranger** *Anno liturg. Vol. VI.*

in eorum defectu benedici possunt aliarum arborum rami, quin idcirco aliquid in orationibus mutetur. Hæc functio non spectat ad jura parochialia; at ab eo Sacerdote peragenda est, qui postea Missam celebrat [1]. Palmæ benedictæ, quum sint verum Sacramentale permanens, magna cum reverentia conservandæ sunt; utiliter vero incenduntur ad tuitionem domorum et agrorum contra infernas et aereas potestates.

Paramenta sunt eadem quæ adhibentur pro Benedictione Candelarum in Festo Purificationis; nisi quod Ministri assumunt etiam manipulos [2] pro ea parte sacri ritus, quæ dici potest præambulum Benedictionis. De hac parte speciatim advertimus: Subdiaconus ad cantum Epistolæ, Diaconus ad cantum Evangelii planetam deponunt, quam immediate postea resumunt. Celebrans omnia peragit in cornu Epistolæ; ibi legit (si placet) Epistolam, Graduale, *Munda cor meum* et Evangelium; ibi quoque incensum benedicit pro cantu Evangelii, et dat Diacono Benedictionem; inde se ad Diaconum convertit legentem Evangelium, ibi osculatur Missale, et a Diacono thurificatur. Evangelium cantatur more solito, cum thurificatione ejusdem, et inter acolythos candelabra cum candelis accensis deferentes. Post incensatum Celebrantem, Ministri, ut ex analogia videtur, deponere debent manipulos; heic enim proprie incipit Benedictio Palmarum [3].

Ritus benedicendi Palmas satis dilucide exhibe-

1) S. R. C. 23 Sept. 1848, n. 2976, ad VIII.

2) Si ante Benedictionem fiat aspersio cum Aqua benedicta, manipuli assumuntur in Presbyterio post aspersionem.

3) Ita quidem **Martinucci** *Manuale sacr. Cærem. L. II. Cap. XXII. n. 39*, et profecto congruentius quam alii, qui manipulos deponendos esse volunt tantum ante **Processionem**.

tur in Missali; circa rationem qua Celebrans Palmam accipiat, ac dein ceteris distribuat, serventur ea quæ servanda esse diximus in distributione Candelarum. Post orationem *Omnipotens,* Celebrans ponit incensum in thuribulo, et Diaconus versus populum dicit: *Procedamus in pace.*

289. **Processio,** quatenus possibile sit, exire debet ab Ecclesia; Celebrans et Diaconus procedunt capite cooperto etiam in Ecclesia [1]; ceteri de Clero, exceptis Subdiacono crucifero et ceroferariis, extra Ecclesiam dumtaxat: in Processione cantantur antiphonæ *Cum appropinquaret* etc. In reditu Processionis ad Ecclesiam cantores, qui primum ingressi sunt, decantant versus *Gloria laus* etc. et reliquos; Clerus vero cum cantoribus, extra Ecclesiam, semper versus priores repetunt: Rhythmus hic cantari potest vel totus, vel ex parte, prout Sacerdoti videbitur. Post hæc Subdiaconus hastili Crucis percutit portam; qua statim aperta, Processio intrat Ecclesiam cantando responsorium *Ingrediente Domino* [2]. Quod Processio obseratam inveniat portam Ecclesiæ, hæc autem per virtutem Crucis tam facile aperiatur, tum sublimia continet mysteria, tum præclarissima exhibet documenta, quæ Parochus studebit considerationi fidelium exponere [3].

290. Quum Processio in Presbyterium pervenerit, Celebrans et Ministri ad scamnum in cornu Epistolæ recedentes assument paramenta coloris

1) Ex P. **A Carpo** Diaconus detecto capite incedit *Cær. III. 12.*

2) Si Processio ab Ecclesia exire prohibeatur, hic ritus peragendus est aut prope januam, aut ad ingressum Presbyterii.

3) Cf. **Pouget** *Instit. Cathol. Tom. I. Parte II. Sect. 4. cap. 2.* **Gueranger** *Anno liturgico Vol. VI.*

violacei pro celebratione Missæ solemnis. Quæ ad hanc Missam, speciatim vero ad cantum Passionis, referuntur, ad materiam præsentis opusculi minime pertinent. Præter Rubricas Missalis et Ritualis, habetur Memoriale Rituum editum jussu Benedicti XIII, exhibens cæremonias a Celebrante absque sacris Ministris servandas in Benedictione ac distributione Palmarum, in Processione et in Missa solemni, imo et in ceteris functionibus hebdomadæ Majoris. Porro hoc Cæremoniali uti licet in omnibus Ecclesiis parochialibus, quæ sacris careant Ministris, quamvis in aliis absque indulto Apostolico non liceat [1].

CAPUT IV.

De Processionibus Rogationum

291. Processiones hæ dicuntur proprio nomine *Litaniæ* vel *Supplicationes;* e quibus, quæ fiunt die 25 Aprilis in Festo S. Marci appellantur *majores,* quæ triduo ante Ascensionem Domini *minores.*

Litaniæ majores auctorem vulgo feruntur habuisse S. Gregorium Magnum exeunte sæculo VI. Verum distinguenda est Processio extraordinaria, quam sanctus ille Pontifex habendam esse voluit anno 590, a Processione annuali et ordinaria Litaniarum. Illius utique auctor fuit S. Gregorius, eamque decrevit, ut a divina misericordia impetraretur cessatio pestilentiæ, quæ eo anno Urbem vexabat; habita esse videtur circa kalendas Sep-

1) S. R. C. 16 Martii 1876, n. 3390.

tembris [1]. Verum altera ita ab eodem S. Gregorio memoratur, ut videatur jampridem in usu populi romani extitisse. Formula convocationis ejusdem habetur in Epistola S. Gregorii, quæ spectat ad annum 592 (vel 598) : « Solemnitas annuæ devotionis nos, fratres dilectissimi, admonet, ut Litaniam quæ major ab omnibus appellatur sollicitis ac devotis debeamus auxiliante Deo mentibus celebrare, per quam a nostris excessibus ejus misericordiæ supplicantes purgari aliquatenus mereamur. Sexta itaque feria veniente [2] a titulo beati Laurentii Martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes ad beatum Petrum Apostolorum Principem Domino supplicantes cum hymnis et canticis spiritualibus properemus, ut ibidem sacra Mysteria celebrantes, tam de antiquioribus, quam de præsentibus beneficiis pietati ejus in quantum possumus referre mereamur » [3].

Litaniæ minores, quæ et *Rogationes* appellantur, auctorem referunt Mamertum Episcopum Viennensem in Gallia circa annum 470 ; brevi per Galliam fuere in pluribus Ecclesiis introductæ, Romæ circa initia sæculi IX. Olim obligationem adnexam habebant jejunii ; nunc alicubi adnexam habent obligationem abstinendi a carnibus.

292. A. **Litaniæ majores.** — Nulla exsistit connexio inter has Litanias et Festum S. Marci ;

1) Describitur **a Gregorio Turon.** *Hist. Franc. L. X. cap. I.*
2) Utroque anno in feriam sextam dies 25 Apr. incidebat. Et dies et via procedendi subrogabant traditionale quoddam festum gentilium quod *Robigalia* nuncupabatur : **Duchesne** *Orig. VIII. 5.*
3) Editores Maurini hanc chartam referunt in Appendice ad Epistolas n. III. nonnihil de ea dubitantes. (Ven. 1744. Tom. I.)

quare, si hoc transferri contingat, non inde a die 25 Aprilis transferuntur Litaniæ; tantum si in hanc diem Festum Paschatis incidat, transferuntur in feriam tertiam sequentem [1].

Itaque, juxta præscriptum Missalis et Ritualis, die 25 (vel 27) Aprilis instituenda est Processio, et in ea decantandæ sunt Litaniæ Sanctorum, quæ in fine Breviarii et in Rituali ponuntur post Psalmos pœnitentiales; post Processionem vero celebrari debet Missa Rogationum [2].

293. Sacerdos celebrans induit saltem superpelliceum et stolam coloris violacei, cui maxime convenit, ut addat pluviale ejusdem coloris; si et albam induat, adstare quoque debent Ministri cum dalmatica et tunicella absque manipulis. Quum ex sacristia ad Altare majus Celebrans cum ceteris de Clero pervenerit, ibique omnes debitam inclinationem (aut genuflexionem) perfecerint, super infimum gradum (aut in medio Presbyterio) præter cruciferum et ceroferarios, genuflexi contrito et humili corde Deum paulisper precabuntur. Tum surgentibus omnibus, cantatur a cantoribus, vel in eorum defectu a Sacerdote cum Clericis et aliis, antiphona *Exsurge Domine* cum suo versu et *Gloria;* qua repetita, genuflectunt omnes, et duo cantores incipiunt devote cantare Litanias; ceteri autem de Clero cum fidelibus respondebunt, eamdem semper precem integram repetentes, quam cantores præcinerint. Quod singulæ preces, usque ad *Propitius esto* exclusive, integræ a cantoribus dicantur, integræ a ceteris repetantur, id omnino in hac Processione præscriptum

1) *Rubrica Missalis* in festo S. Marci.

2) Verum si aliter commoditas fidelium postulat, Missa cantari potest sive ab initio Processionis, sive in ejus decursu ad aliquod Oratorium.

est, etsi Processio fiat intra Ecclesiam dumtaxat [1]. Post repetitam invocationem *Sancta Maria, ora pro nobis*, inchoatur Processio: primus incedit crucifer inter ceroferarios, postremus Celebrans inter Ministros, vel Clericos adsistentes: de ordine procedendi serventur normæ generales. Si longius sit iter, repeti possunt Litaniæ, vel illis expletis cantari possunt Psalmi ex pœnitentialibus aut gradualibus; minime vero cantica et Hymni qui lætitiam præseferant: preces finales *Fropitius esto* non inchoantur, nisi cum Processio ad Ecclesiam redierit.

Si ad unam vel plures Ecclesias in via sit divertendum, ad ingressum Rector Ecclesiæ indutus superpelliceo absque stola poterit Aquam lustralem præbere Celebranti, fideles vero ingredientes aspergere. Minime fas est invocationem inserere Sancti illius Ecclesiæ Titularis [2]; sed intermissis Litaniis, quum Celebrans ad Altare pervenerit, cantatur antiphona cum versu et oratione ejusdem Sancti Patroni, quæ diceretur in suffragiis.

294. Quum ad Ecclesiam finalem Processio redierit, ibidem Litaniæ terminantur cum suis precibus et orationibus, ut in Rituali et Breviario; ad orationes Celebrans surgit; iisque absolutis celebratur Missa Rogationum [3]. Si Processio fiat, Missa ex præ-

1) *Rit. Rom.* et S. R. C. 16 Sept. 1865, n. 3135, 30 Iunii 1883, n. 3580, ad IV. At id non præscribitur, sive in recitatione privata (licet obligatoria) Litaniarum, sive in recitatione chorali non processionali. S. R. C. 7 Maji 1853, n. 3011, ad II.

2) S. R. C. 8 Martii 1631, n. 562, 12 Sept. 1699, n. 2035, ad I. 9 Maji 1857, n. 3043, ad IV. et ad II.

3) Si Missa aut ante Processionem celebrata fuerit, aut in decursu, tunc in Ecclesia finali post preces et orationes Processio dissolvitur: Missa est post Dominicam V. post Pascha. Neque Regulares impedire possunt quominus processio, quæ fit ab Episcopo cum Capitulo, sistat in eorum Ecclesiis, ibique ab aliquo Canonico Missa celebretur. S. R. C. 25 Januar. 1603, n. 121.

cepto celebranda est de Rogationibus, in colore violaceo sine *Gloria* et *Credo,* et quidem congruentius cum cantu, cum Ministris vel absque Ministris, pro varia Ecclesiarum conditione. Hæc Missa dicenda est etiam in Dominica et in quocumque Festo cujuscumque classis et festivo de præcepto, imo et in Ecclesia parochiali in qua unica Missa habeatur, et etiamsi alicui defuncto detur ea die sepultura [1]. Unica exceptio habetur, si Missa celebretur in Ecclesia dedicata S. Marco, vel illi Sancto cujus Festum ea die occurrit. In hoc enim casu Missa celebratur de Festo, addita commemoratione ex Missa Rogationum sub unica conclusione : at infra triduum paschale Missæ Sanctorum haudquaquam permittuntur.

Ceteræ Missæ dicuntur de S. Marco, vel de Festo aut octava occurrente absque collecta Missæ Rogationum.

295. B. **Litaniæ minores** eodem prorsus ritu peraguntur, ac majores; nisi quod minor forte erit solemnitas, via longior. Insuper in his, frequentius quam in illis, fieri solet, ut Processione ad quasdam Cruces in viis erectas, vel ad trivia aut quadrivia consistente, legatur pars aliqua Evangelii, Celebrans ad singulas orbis partes signum Crucis efformet, preces quasdam et orationes recitet; post quas, Processio cum cantu Litaniarum resumitur.

Quæres: Quid de hujusmodi ritibus censendum sit?

Respondeo: Non desunt auctores, qui quamlibet Processionis interruptionem, et alienorum rituum

1) S. R. C. 3 Julii 1869, n. 3208. In Missa Rogationum dicuntur collectæ imperatæ, etiam occurrente festo duplici I. cl. S. R. C. 25 Aug. 1882, n. 3553 ad II.

interpositionem ut illicitam habent. Verum ex quodam S. R. Congregationis Responso unum exigendum esse videtur; ut scilicet versus omnes, et preces et orationes desumantur ex *Libris liturgicis a S. Congregatione approbatis* [1]. Id sane conforme est pluribus Declarationibus ac Decretis RR. Congregationum [2].

Missa Rogationum dicenda est ex præcepto, sicut in Litaniis majoribus. Reliquæ dicuntur de Festo occurrente cum collecta ex Missa Rogationum; et quidem in feria secunda, quæ est major, collecta apponitur, etiamsi Festum agatur duplex primæ classis; quoad ferias tertiam et quartam, duplicia tantum primæ classis eamdem excludunt [3].

CAPUT V.

De Processione in Festo SS. Corporis Christi

296. Quandonam solemnis huius Festi Processio fuerit universali lege statuta, difficile est definire: probabiliter primum votis Urbani IV. circa annum 1264 alicubi introducta, dein decretis Joannis XXII. ubique indicta fuit initio sæculi XIV.; licet quædam Ecclesiæ Italiæ, forte eo quod Pontifices a sua Sede abstracti Avenionensi captivitate detinerentur, eam nonnisi sæculo XV. adoptaverint [4]. Certe jam sæ-

1) Cf. Responsum datum die 18 Maji 1878, n. 3451.
2) Vide quæ superius notavimus n. 189 *c*), et 190.
3) S. R. C. 23 Aprilis 1875, n. 3352, ad V.
4) Constat alias Processiones cum SS. Sacramento jampridem alicubi fieri consuevisse, ut ex gr. in Dominica Palmarum, et in quibusdam festivitatibus Sanctorum.

culo XVI. universalis et jam antiqua erat hujusmodi consuetudo; cujus rationes nobis exhibet Trident. Concilium Sess. XIII: « Declarat sancta Synodus pie et religiose admodum in Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præclarum et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in Processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Aequissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, quum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur; atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant ».

297. Postrema verba Patrum Tridentini Concilii nobis indicant duo præ oculis habenda esse in Processione hujus diei: *a*) ea ex votis Ecclesiæ perquamsolemniter fieri debet; *b*) in ea vitari debent quæcumque profanam saperent vanitatem, vel rem adeo sacram possent irrisionibus aut irreverentiis facere obnoxiam.

Quoad primum: Pretiosiora quæ haberi queant adhibeantur paramenta albi coloris, quibus et omnis Ecclesiæ suppellex et ornatus convenienter respondeat: munda et, quoad fieri potest, pretiosa sint sacra vexilla, maxime vero baldacchinum; omnes et singuli Clerici sæculares et regulares, et Confratres cujuscumque societatis et, si fieri potest, omnes

quoque fideles qui Processioni intersunt, aut intorticium, aut candelam accensam manu (extima) deferant. Non licet in hac Processione Statuas et Imagines Sanctorum deferre [1]; neque probari potest quod pueri, et multo magis puellæ, intersint speciem Sanctorum aut Sanctarum præferentes [2]. Viæ mundentur, domorum parietes cura singulorum civium velis et floribus ornentur: congruit quoque quod et arcus extruantur, et pueri Processioni præmittantur flores herbasque odoriferas spargentes; si in via unum alterumve Altare exstruatur, ut ibidem paulisper sacra Processio consistat, illud quoque velis et floribus, et insuper baldacchino exornetur. Campanæ tum Ecclesiæ a qua Processio discessit, tum earum penes quas est transitura, festivo sonitu pulsentur. Hastas baldacchini, si Processio fit ab Ecclesia cathedrali, deferant Clerici beneficiati superpelliceo et albo pluviali induti; secus aut Clerici cum superpelliceo, aut nobiles viri, aut Confratres SS. Sacramenti.

Quoad alterum: Omnia hujus Processionis adiuncta decorem præseferant solemnitati sacri ritus et dignitati SS. Sacramenti convenientem. In vestibus itaque singulorum incedentium, in ornamentis viarum et domorum nihil vanum sit atque inane, nihil quod oculos aut adstantium, aut procedentium alliciendo, cogitationes aut affectus alio a SS. Sacramento divertat. In velis, quibus viæ ornantur, absint figuræ profanæ aut vanæ; multo magis removeantur a via Processionis scænicæ repræsentationes, et ab ipsa Processione actus ludicri et indecori [3].

1) S. R. C. 1 Julii 1898, n. 3997.
2) S. R. C. 5 Martii 1667, n. 1348; 5 Nov. 1667, 1361, ad VII.
3) *Cærem. Epp. L. II. cap. XXXII, XXXIII.*

298. Processioni, siquidem mane fiat (ut regulariter fieri debet), præmittitur Missa ab eo celebranda, qui deferet SS. Sacramentum [1]. Ea Missa convenientius decantabitur, et quidem cum sacris Ministris; erit de Festo Corporis Christi, si eo die fiat Processio; infra Octavam erit ea quæ assignatur in Kalendario; si ex præscripto Ordinarii Processio in aliquam Dominicam transferatur, Missa erit de Dominica, vel de Festo duplici occurrente cum collecta SS. Sacramenti post orationes præscriptas, servatis tamen generalibus Rubricis.

Missa hujus Processionis nihil habet speciale usque ad Communionem inclusive; nisi quod ad offertorium Diaconus exhibet Celebranti duas Hostias: unam more consueto super patenam, alteram in capsula, vel lunula, aut sphæra pro solemni Processione. Si hæc altera sit capsulæ inclusa habenti utrinque laminas vitreas, (quæ tamen nullatenus debent tangere Hostiam) ad oblationem et Consecrationem Diaconus capsulam aperiet [2]. Postquam Celebrans pretiosum Sanguinem sumpserit, affertur ad Altare Tabernaculum seu Ostensorium cui Diaconus a dextris Celebrantis immittet lunulam vel capsulam cum SS. Sacramento, cavens ne sacram Hostiam tangat [3]; Ostensorium dein collocat in medio Altaris, ita ut pars anterior populum respiciat, et velo albo cooperit. Ab eo instanti usque ad finem Missæ eo modo se gerent, quo generatim in Missam coram SS. Sacramento solemniter exposito.

299. Lecto postremo Evangelio, Celebrans et Ministri, facta in plano et utroque genu genuflexione, [4]

1) S. R. C. 3 Augusti 1839, n. 2792, ad I.
2) S. R. C. 4 Sept. 1880, n. 3524, ad VI.
3) Si forte tetigerit, digitos abluat in vasculo.
4) S. R. C. 24 Nov. 1899, n. 4048, ad V.

accedunt ad scamnum in cornu Epistolæ, caventes ne terga vertant Sacramento; ibi deponunt manipulos; Celebrans vero pro casula assumit pluviale [1], dein thus duobus thuribulis absque benedictione et osculis immittit [2]: interim ordinatur et inchoatur Processio. Celebrans rediens cum Ministris ante medium Altaris, facit in plano duplicem genuflexionem, quum interim jam cæremoniarius velum ab Ostensorium removerit [3]; genuflexus in infimo gradu SS. Sacramentum unico thuribulo incensat, dein accepto a Diacono velo humerali, conscendit, et genuflexus manet super gradum supremum, ubi a Diacono stante accipit Ostensorium: dexterâ nodum tenens, pedem sinistrâ, utrâque extremitatibus veli contecta [4]. Ascendens suppedaneum, per suam dexteram se ad populum convertit, Ministris interim locum mutantibus, et fimbrias pluvialis sustinentibus. Tum cantores, et in eorum defectu Presbyter adsistens, vel Diaconus, et in defectu utriusque Celebrans ipse, intonabunt *Pange lingua;* qui hymnus, cum aliis, cantabitur tempore Processionis.

300. Signo dato a cæremoniario, procedet Celebrans medius inter Ministros, sub umbella usque

1) « In Processionibus Sacerdos qui SS. Sacramentum portat, quacumque dignitate insignitus, incedere debet paratus amictu, alba, stola ac pluviali. » S. R. C. 20 Martii 1869, n. 3201, ad VI. Si forte Missa in colore non albo fuerit celebrata, ex Rubrica Ritualis n. 2, pro Processione assumenda sunt paramenta coloris albi.

2) Non licet adhibere plusquam duo thuribula. S. R. C. 11 Maji 1878, n. 3448, ad IX.

3) Velum heic removendum esse videtur, licet id non ad apicem respondeat Rubricæ.

4) Si via longior sit, et Ostensorium valde grave, nihil prohibet ipsum decenti funiculo collo ante pectus alligare.

ad exitum Presbyterii, dein sub baldacchino. Dum hymni a cantoribus cum Clero et fidelibus canuntur, ipse submissa voce cum Ministris recitat eos, quos memoriter potest recitare [1]. Idem Sacerdos debet per totam Processionem Sacramentum deferre, quum prohibitum sit deferri a pluribus successive vel super humeros Sacerdotum [2]; at si usus invaluerit, tolerari potest ut SS. Sacramentum paulisper super Altaria in via disposita deponatur, ibique cantetur *Tantum ergo* cum suo versiculo et oratione [3], et, dummodo vetustissima habeatur consuetudo, Benedictio semel vel iterum populo largiatur [4].

301. Redeunte Processione in Ecclesiam, accenduntur candelæ omnes in Altari majori; ingrediente Celebrante in Presbyterium, omnes jam ingressi erga SS. Sacramentum genuflectunt, et flexi manent facie ad Altare conversa. Interim Celebrans gradus Altaris conscendit, et in supremo stans Ostensorium præbet Diacono in suppedaneo genuflexo; mox SS. Sacramento adorato, redit paulisper in cornu Evangelii declinans ad infimum gradum, ibique manet genuflexus, donec, redeunte Diacono, facta profunda inclinatione, thus thuribulo immittit, ac ter SS. Sacramentum thurificat. Interim cantantur duæ strophes postremæ *Tantum ergo* et *Genitori;* versiculo *Panem de cælo* additur per totam octavam *Alleluja;* tum Celebrans surgens cantat orationem *Deus qui nobis* breviter eam concludens *Qui vivis et regnas in sæcula* etc. Iterum ascendit Altare, ibi, uno vel utroque genu pro diversa consuetudine,

1) *Cærem. Epp. L. II. cap. XXXIII.*
2) S. C. C. 18 Junii 1887, et S. R. C. 3 Aug. 1839. n. 2792. 22 Maji 1841, n. 2835, 2 Aug. 1631, n. 575.
3) S. R. C. 31 Martii 1879, n. 3488, ad II.
4) S. R. C. 23 Sept. 1820, n. 2609.

flectit, Ostensorium utraque manu veli extremitatibus cooperta accipit, et ad populum per suam dexteram conversus, eidem per simplex signum Crucis benedicit. Postquam SS. Sacramentum super Altare reposuit, facta genuflexione, in planum redit; dum Diaconus (vel Sacerdos adsistens cum stola) ascendens, SS. Sacramentum ab Ostensorio eductum in custodia et intra Tabernaculum Altaris recludit.

302. Subdit Rituale eumdem benedicendi modum servandum esse in aliis Processionibus, quæ fiunt cum SS. Sacramento. Ejusmodi est Processio, quæ pluribus in locis fieri solet Dominica III. cujuslibet mensis, quæ et ab Ecclesia probata est, et indulgentiis ditata. In Missa, quæ antea celebretur, ponitur collecta SS. Sacramenti, servatis tamen Rubricis et Decretis generalibus; Processio fit eodem modo ac in Festo Corporis Christi, licet minori pompa et apparatu. At in hoc casu Celebrans et Ministri uti possunt paramentis coloris Missæ convenientis, etiamsi hæc forent violacea [1]; tantum velum humerale debet esse albi coloris.

Consuetudo, licet immemorabilis, instituendi Processionem cum SS. Sacramento in feria sexta Parasceves omnino improbata fuit a S. R. Congregatione, et curandum maxime est, ut, sicubi exsistat, eliminetur [2].

1) S. R. C. 9 Julii 1678, n. 1615. ad VI.
2) S. R. C. 16 Dec. 1828, n. 2668. Vide et suffragium super hoc Decreto in *Collect. Auth. Decretor. S. R. C. Vol. IV.* pag. 307.

CAPUT VI.

De Processionibus cum Reliquiis Sanctorum.

303. Quod Ecclesia Christiana jam a primis sæculis constanti et universali consuetudine maximo in honore habuerit Sanctorum Reliquias, demonstrant apologetæ catholici adversus Dallæum aliosque Protestantes. Verum quoad earumdem translationes varia fuit, pro temporum conditione, disciplina. Certe primis sæculis exuviæ, præsertim Sanctorum Martyrum, sæpe magna pompa ab uno in alium locum transferebantur: ita solemniter ossa S. Martyris Ignatii Româ translata fuerunt Antiochiam sæculo secundo [1]: hæ autem translationes sub Constantino Imperatore, et post ipsum majori adhuc pompa et solemnitate, fieri consueverunt. Scopus earum potissimus duplex fuit: primus, ut fidelium devotioni erga Sanctos satisfieret; alter, ut per sacras eorumdem Sanctorum Reliquias Benedictio divina super populum christianum ejusque domos et agros invocaretur.

Agemus: *a*) de ipsis Sanctorum Reliquiis, utique *liturgice; b*) de translatione Reliquiarum insignium; *c*) de Processione cum Reliquiis non insignibus; *d*) de earumdem Reliquiarum expositione.

1) Cf. **S. Jo. Chrysostomus.** *Hom. in S. Ignatium.* Qui plura cupit, adeat **Benedictum XIV.** *De Canon. Sanctor. L. IV. P. II. cap. XXII.*

304. A. **De Sanctorum Reliquiis.** — Reliquiæ Sanctorum, sensu maxime proprio, dicuntur Corpora eorumdem, vel Corporum partes; sensu minus proprio sunt et cineres, vestes, scripta, etc. Distinguuntur ita, ut aliæ sint insignes, aliæ vero communes. Insignes sunt integrum Corpus, vel ejus notabilis pars, vel pars illa in qua passus est, nisi prorsus minima sit: partes vero Corporis minores et omnes quas diximus sensu minus proprio Reliquias, sunt communes. Ut cuipiam Reliquiæ cultus publice haberi queat, necesse est ut de ejus veritate constet authentice; quod semper cautum fuit in Ecclesia, præsertim postquam irrepserunt abusus. Hæc authentica declaratio danda est ab Episcopo, adeo ut sine hac non liceat Reliquias processionaliter deferre, aut in throno, aut inter ipsa candelabra ornatus causa collocare [1]. Decet ut Reliquiæ insignes nonnisi in Ecclesia conserventur; dum communes possunt et in domibus privatis etiam laicorum teneri, et super corpus quoque deferri: istæ possunt aliis donari; ad illarum alienationem requiritur beneplacitum Apostolicæ Sedis. Si in Ecclesia habeatur Reliquia insignis alicujus Sancti in Martyrologium relati, poterit in ejus die festo Officium recitari et Missa celebrari sub ritu duplici cum *Credo*; minime vero si habeatur Reliquia communis. Benedictio *Capsarum pro Reliquiis Sanctorum includendis* habetur in Appendice Ritualis, inter reservatas delegabiles.

305. Specialis dignitatis habentur Reliquiæ ex Ligno S. Crucis, adeo ut non deceat eas in eadem

1) Etsi fuerint a R. Pontifice approbatæ, recognoscendæ tamen sunt per Episcopum loci in quo exponuntur. Si agatur de Reliquiis conservandis et colendis privatim, videtur pluribus requiri et sufficere approbatio Episcopi cujuscumque.

theca cum Reliquiis Sanctorum includere [1], et eas liceat in Processionibus sub baldacchino deferre, et coram illis expositis eadem ratione genuflectere, ac coram SS. Sacramento intra Tabernaculum asservato. Ex paritate rationis idem dicendum esse videtur de aliis Reliquiis Instrumentorum Passionis. Num liceat Reliquiam S. Crucis, aut alterius Instrumenti Passionis ad collum appensam deferre, valde potest dubitari, si privilegium Episcopis concessum excipias; nulla tamen lex vetans reperitur [2].

306. Quæres: Quid censendum de Reliquiis, quæ alicubi asservari dicuntur ex pretiosissimo Sanguine D. N. Iesu Christi?

Resp: Harum duplex est classis. Aliæ dicuntur Reliquiæ veri Sanguinis Christi, quas aut miles romanus ad meliora conversus, aut primi Christifideles collegerint, et religione summa conservaverint; ejusmodi, ex recognitione facta a Leone III. habetur ea Reliquia, quæ Mantuæ in Basilica S. Barbaræ asservatur [3]. Aliæ habentur ut Reliquiæ Sanguinis qui prodigiose effluxerit ex Imaginibus Crucifixi, præsertim Berythensi. Theologice nihil obstat, quominus tum Sanguinis prodigiosi, tum veri, sacræ Reliquiæ in terris conserventur: factum vero Ecclesia ipsa saltem implicite admittit, eo ipso quod probat iisdem Reliquiis cultum religiosum et quidem quasi-latriæ exhiberi. Cultus est ille idem *in omnibus*, qui tribuitur Reliquiis ex Ligno S. Crucis; nec

1) S. Congr. Indulg. 22 Febr. 1847, n. 342: vide adnotationes Consultoris apud *Acta S. Sedis Vol. II.* pag. 578 Tamen non licet eas conservare intra Tabernaculum cum SS. Sacramento. Cf. S. R. C. 18 Febr. 1843, n. 2854.

2) Cf. *Il Monit. Eccl. Ser. I. Vol. X. P. I.* pag. 259.

3) Cf. **Gaiter** *Sul Prez. S. di G. C. venerato a Mantova* (1876).

ullatenus licet eas Reliquias in Tabernaculo cum SS. Sacramento conservare [1].

Quæres: Qua certitudine de veritate alicujus Reliquiæ constare debeat, ut eadem authentice ab Ecclesia approbetur, eidemque cultus conveniens, etiam liturgice, tribuatur?

Resp: Per se sufficit certitudo historica, seu humana: quum enim cultus Reliquiarum sit ex se relativus, jam eo ipso ad prototypa dirigitur ac terminatur; hinc error, quo forte laborarent fideles, mere materialis esset, nec earumdem cultum redderet ullo modo superstitiosum [2].

307. B. **De translatione Reliquiarum insignium.** — In eo hic ritus consistit, quod hæ Reliquiæ ab una in aliam Ecclesiam, vel quandoque in eamdem, cum extraordinaria pompa transferantur, sive ut iisdem locus detur honestior, sive ut publicæ devotioni satisfiat, sive ut cessatio publicæ calamitatis imploretur. Decernit Rituale Cap. 14, ut tum Ecclesia, tum viæ per quas transeundum est, mundentur et quam fieri potest decentius ornentur. Vestes pro Celebrante sunt amictus, alba cum stola et pluviali coloris respondentis Officio Sancti illius cujus Reliquiæ transferuntur; pro Diacono et Subdiacono dalmatica et tunicella ejusdem coloris super amictum et albam. Maxime congruit, ut omnes qui Processioni intersunt candelas accensas manibus de-

1) S. R. C. 22 Sept. 1827, n. 2660, ubi de quibusdam Reliquiis asservatis in Ecclesia S. Ambrosii, Oppidi *Valpolicella*, Diocesis Veronensis.

2) Res alia prorsus est de adoratione Hostiæ non consecratæ; agitur enim hic de cultu absoluto. Cf. **S. Alphonsus.** *Opera dogmatica contro gli eretici. Sess. XXV. Dell' invoc. dei Santi. §. 3.* Cultus qui tribuitur Reliquiis pretiosissimi Sanguinis est relativus.

ferant; in via canuntur Litaniæ Sanctorum, quibus inseri suo ordine possunt invocationes Sanctorum quorum Reliquiæ deferuntur, et hymnus *Te Deum*, et Psalmus *Laudate Dominum de cælis* cum duobus aliis sequentibus, et alii Psalmi et hymni de Proprio vel de Communi Sanctorum.

Ceterum, quia hujusmodi translationes rarius occurrunt, nec unquam absque licentia Ordinarii peragi possunt, adeo ut quidam eas inter functiones episcopales accenseant, ideo ad Ordinarium quoque spectabit normas sequendas determinare, præ oculis habendo quæ apud Baruffaldum, Catalanum aliosque fusiores Ritualis commentatores traduntur, tum quæ pro diversis locorum ac temporum circumstantiis opportuna aut necessaria quoque judicaverit.

Unum advertimus ex P. Martinucci : « Decretum diei 27 Maji 1826, quo generatim prohibetur Sanctorum Reliquias sub baldacchino processionaliter deferre, intelligendum non esse de Processionibus solemnioribus pro translatione Reliquiarum insignium » [1].

308. C. **De Processionibus cum Reliquiis Sanctorum non insignibus.** — Deferri processionaliter non possunt nisi Reliquiæ eorum Sanctorum qui Martyrologio inscripti inveniuntur. Vestes, si de Processione solemni agatur, erunt eædem quæ pro solemni insignium Reliquiarum translatione; si de ordinaria, erunt pro Celebrante superpelliceum cum stola et pluviali coloris convenientis; pro ceteris superpelliceum. Præscriptum omnino est, ut quamvis Clerus incedat tecto capite, qui Reliquiam defert, incedat capite detecto [2]; et sicubi contraria

1) **Martinucci** *Manuale sacrar. Cærem. L. II. Cap. XL.*
2) S. R. C. 1 Dec. 1657, n. 1043, 2 Sept. 1690, n. 1841, ad I.

consuetudo obrepserit, ea omnino servari non posse videtur [1]. Non licet omnino Sanctorum Reliquias, aut etiam B. Mariæ Virginis, processionaliter deferre sub baldacchino: id tantum, ubi adest consuetudo, permitti potest quoad Reliquias S. Crucis, aliorumve Instrumentorum Passionis [2]: item retineri potest consuetudo, qua Reliquia S. Crucis deferatur contecta extremitatibus veli humeralis rubri coloris, præcedentibus duobus acolythis cum thuribulis fumigantibus [3]. Si hæc Processio fiat in Feria VI. Parasceves, utendum erit pluviali ac stola coloris nigri [4]. Quoties defertur Lignum S. Crucis, omnes Sacerdotes incedere debent capite detecto [5].

309. Circa preces nulla habetur determinatio, præter eam quam ex Rituali retulimus pro translatione Reliquiarum insignium. Ea proinde, quatenus fieri potest, applicetur. Verum in Processione minus solemni et ex consuetudine inducta, paulisper concedendum esse videtur consuetudini locorum, imo et necessitati, cui plerumque se accomodare Parochus debebit, eas tantum preces præcinendo, quæ a fidelibus memoriter teneantur.

Redeunte. Processione ad Ecclesiam, Reliquia super suum thronum, vel super Altare (nunquam super vel ante Tabernaculum SS. Sacramenti) exponatur, et cum ea populo benedicatur: qua de re statim dicemus. Hæc Benedictio danda est ex præcepto si in Processione delata fuit Reliquia S. Crucis [6]; si alia, ex congruentia.

1) Cf. **S. Alphonsus.** *Theol. mor. Lib. VI. 401.*
2) S. R. C. 27 Maji 1826, n. 2647.
3) S. R. C. 18 Febr. 1843, n. 2854.
4) S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3466, ad I. Processio tamen non fiat intra Officium et Missam, sed sit extraliturgica.
5) S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 1841, ad I.
6) S. R. C. 15 Sept. 1736. n. 2324. ad I.

310. D. **De expositione SS. Reliquiarum.** — Beatorum quoque Reliquiæ possunt exponi; at in iis tantum Ecclesiis, in quibus Officium de iisdem recitare et Missam celebrare licet [1]. Sacræ Reliquiæ exponi possunt, sive inter candelabra super alterutrum aut utrumque latus Altaris, sive in proprio throno in medio ejusdem ante pedem Crucis; non tamen super Tabernaculum in quo SS. Sacramentum asservatur, nec ante ejusdem ostiolum [2]: nec unquam super Altare in quo expositum publice sit SS. Sacramentum [3]; nec iisdem supponenda est palla, vel superimponendum baldacchinum. Hæc omnia, si postremum excipias, communia sunt quibuscumque Reliquiis, etiam ex Ligno S. Crucis, aliisque Instrumentis Passionis. Tempore expositionis, etiamsi ad ornatum inter candelabra collocentur, duo saltem lumina horis diurnis ante ipsas ardere debent; secus non exponantur [4]. Et dum officia divina persolvuntur, præter duo quæ circa Reliquiam expositam collucescunt, alia duo saltem lumina super gradus Altaris requiruntur [5].

311. Ritus exponendi SS. Reliquias, nisi antea cum illis habeatur Processio, hic est. Sacerdos indutus superpelliceo ac stola coloris convenientis, tecto capite, Reliquiam suæ thecæ inclusam et velo contectam deferens a sacrario vel loco in quo custodiebatur, accedit ad medium Altaris; ibi detecto capite profunde Cruci se inclinat, vel si SS. Sacra-

1) S. R. C. 17 Apr. 1660, n. 1156, ad IV.
2) S. R. C. 12 Martii 1836, n. 2740, ad I. 6 Sept. 1845, n. 2906.
3) S. R. C. 1 Sept. 1741, n. 2355, ad I. Cf. *Lit. Sacramentor.* n. 102.
4) S. R. C. 22 Jan. 1701, n. 2067, ad IX. 12 Aug. 1854, n. 3029, ad XIII.
5) S. R. C. 20 Mart. 1869, n. 3204.

mentum habeatur, genuflectit, gradus Altaris ascendit, eamque in suo throno vel loculo detectam collocat: tum, facta capitis inclinatione, descendit et super infimum gradum genuflexus preces recitat congruentes. Quod si ea debeat diu exposita manere, facta Cruci profunda inclinatione, in sacristiam redibit [1].

Quæres: An sit thurificanda?

Respondeo: Id quidem circa Reliquias Sanctorum, aut etiam B. Mariæ Virginis nullibi præscribitur; verum conveniens id esse videtur ex eo quod Reliquiæ incensari jubeantur in Missa solemni. Ritus hic est: Posito incenso in thuribulo (cum osculis et Benedictione), Sacerdos stans ter Crucem incensat, facta prius ac postea profunda inclinatione, Ministris vero aut Clericis genuflectentibus; dein duplici ductu Reliquiam cum inclinatione media [2].

Multo congruentius, et forte ex præcepto, incensandæ sunt Reliquiæ Ligni S. Crucis, et aliorum Instrumentorum Passionis, et pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi: incensatio triplex fieri debet a Sacerdote stante, facta antea ac postea genuflexione [3]. Quando in Altari sit exposita Reliquia S. Crucis, Celebrans in Missa cantata incensare debet prius Imaginem Crucifixi in principe

1) Præscribit S. Carolus ne sacræ Reliquiæ per laicos etiam cujusvis ordinis aut dignitatis tractentur, nec tangantur: quum hoc sacrilegum, ac minus propterea ferendum, S. Gregorius Pontifex scribat. Et ideo super Altare poni non debent a laicis, sed a Sacerdote induto cotta et stola. *Acta Eccl. Med. Conc. Prov. IV.*

2) Vide **De Herdt** *S. Lit. Praxis Vol. I. n. 309.*

3) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2324, ad II. 22 Sept. 1827, n. 2660. Non licet Feria VI. in Parasceve post cæremonias exponere Reliquiam S. Crucis, ut maneat exposita usque ad functionem crastinæ diei. S. R. C. 12 Mart. 1836, n. 2740, ad V.

loco positam, et postea Reliquiam S. Crucis. Et idem ordo ex analogia servandus esse videtur in omnibus functionibus liturgicis [1].

312. Qui transeunt ante Altare in quo exposita est Reliquia, debent se profunde inclinare, capite detecto; præter Celebrantem, qui manibus Calicem deferat; hic enim tantum se inclinat. Quod si Reliquia sit S. Crucis, aut aliorum Instrumentorum Passionis, aut pretiosissimi Sanguinis, genuflectere oportebit: nulla his Reliquiis reverentia debetur, si in Tabernaculo proprio asserventur.

313. Post datum congruum tempus expositioni, vel post preces recitatas, antequam Reliquia reponatur, cum eadem dari poterit fidelibus adstantibus Benedictio, sive omnibus, sive singulis. *a*) Dari potest *omnibus*, sive post Processionem, sive post simplicem expositionem [2]. Celebrans ascendit Altare, et acceptâ a Diacono, vel ex seipso sumptâ Reliquiâ, se per suam dexteram ad fideles convertit, et cum eadem signum Crucis super ipsos efformat, omnibus, etiam Ministris et ceteris de Clero, genuflectentibus. Romæ et pluribus in Ecclesiis Sacerdos benedicens nihil dicit: alicubi mos est, ut signo Crucis hæc verba adiiciantur, sive simpliciter recitata, sive cantu modulata: *Per intercessionem B. Mariæ Virginis* (vel *B. N.*) *benedicat vos omnipotens Deus* etc. Quousque nihil S. Congregatio decernat, fas erit cuilibet Ecclesiæ suam sequi consuetudinem.

Si processionaliter delata fuerit, aut simpliciter exposita Reliquia S. Crucis, numquam est in custodiam recondenda, nisi ante per ipsam impertita fuerit populo Benedictio [3]. Hæc Benedictio danda

1) Cf. *Eph. Liturg. 1887* pag. 460, seqq.
2) S. R. C. 16 Dec. 1766, n. 2483, ad V.
3) S. R. C. 15 Sept. 1736, n. 2324, ad I.

est in paramentis coloris rubri [1], per simplex signum Crucis: interim nec Sacerdos quidquam sive canere, sive recitare debet; nihil interim cantare debent sive musici, sive Clerus [2].

b) Item dari potest *singulis*. Sacerdos indutus cotta et stola coloris convenientis tenens dextera manu Reliquiam, efformat super caput singulorum fidelium signum Crucis, vel singulorum capiti eam imponit, dicens: *Per intercessionem B. M. V.* (vel *S. N.*) *liberet te Deus ab omni malo. Amen*: simul eam singulis osculandam præbet, linteolo frequenter abstergens crystallum, quo sacra Reliquia obtegitur. Id præstare quoque potest Sacerdos post Missam privatam sacris paramentis indutus [3], et forte quilibet Sacerdos quoad infirmos [4]. Non videtur posse Diaconus Reliquiam osculandam præbere [5].

314. Quæres: Num osculanda præberi possit fidelibus Reliquia S. Crucis?

Resp. — S. R. Congregatio hac de re interrogata pro Feria VI. Parasceves respondit: « servetur consuetudo » [6].

Pluribus in locis mos est, ut die 3 Februarii Benedictio singulis detur cum Candelis benedictis,

1) S. R. C. 2 Sept. 1871, n. 3256. At in Feria VI. Parasceves adhiberi possunt paramenta coloris nigri præter velum humerale. Eadem S. R. C. 26 Nov. 1878, n. 3466, ad I.

2) S. R. C. 23 Maji 1835, n. 2722, ad III. 18 Febr. 1843, n. 2854.

3) S. R. C. 16 Martii 1833, n. 2704, ad V.

4) Vide **Scavini** *Theolog. mor.* L. II. 171.

5) Cf. *Ephem. Liturg. 1889* pag. 49.

6) S. R. C. 23 Sept. 1837, n. 2769, ad X. Confirmatur a S. R. C. 18 Febr. 1843, n. 2854. Quod si ex resp. 15 Junii 1883, n. 3579, ad I. reprobata videtur consuetudo præbendi fidelibus osculandum Lignum S. Crucis, attendenda sunt dictæ reprobationis peculiaria adjuncta.

ad impetrandam liberationem a malo gutturis. Si Candelæ fuerint in Festo Purificationis benedictæ, adhibeatur formula hæc: *Per intercessionem B. Blasii liberet te Deus a malo gutturis. Amen.* Si vero adhibeantur Candelæ in ipso Festo S. Blasii benedictæ, formula erit ea quæ habetur in Appendice Ritualis [1].

CAPUT VII.

De reliquis Processionibus.

315. Reliquæ Processiones, quæ vel in Rituali habentur, vel sunt ad normas Ritualis ordinandæ, sunt triplicis classis: quædam dici possunt *impetratoriæ*, una est *eucharistica*, aliæ *pœnitentiales*.

Processiones impetratoriæ habentur in Rituali Capp. 6-12. Pro his datur regula generalis, ut omnia fiant sicut in Litaniis majoribus, inserendo inter preces versiculum congruentem, et pro Psalmo consueto alium proprium recitando cum propriis precibus et orationibus: versiculus inserendus erit post invocationem *Ut fructus terræ dare*. Vestes sacræ erunt superpelliceum et stola, aut etiam pluviale coloris violacei. Repetitâ antiphonâ *Exsurge Domine*, omnibus ante Altare genuflexis, duo cantores cantare incipient Litanias, et post invocationem *Sancta Maria* inchoabitur Processio: nullibi decernitur Litanias esse duplicandas.

Omnes hæ Processiones concludendæ sunt in Ecclesia: aliquando intra ambitum Ecclesiæ haberi poterunt, imo et licitum quoque erit, omissa Pro-

1) Cf. *Ephem. Liturg. 1890.* pag. 319.

cessione, Litanias cum suis precibus canere ante Altare majus genibus flexis. In postremo casu poterit quoque SS. Sacramentum privatim aut publice exponi, dummodo pro Expositione publica habeatur licentia Ordinarii.

316. **Processio eucharistica** ea est, quæ instituatur ad gratias Deo agendas pro beneficii impetratis; de qua habetur in Rituali Caput 13. Color sacrarum vestium erit albus, vel rubeus, prout Officium vel Missa illius solemnitatis requirit [1]: multo magis si, aut antea, aut postea, cantetur Missa votiva in gratiarum actionem. Repetitâ antiphonâ *Exsurge Domine,* omnibus stantibus intonabitur Hymnus *Te Deum,* ac statim instituetur Processio more consueto. Prout longitudo itineris postulaverit, Hymno prædicto subdi poterunt Psalmi quidam ex iis qui assignantur eodem Capite in Rituali: vel si fideles Psalmos ignorent, licebit Hymnum Ambrosianum resumere. Quum Processio pervenerit ad Ecclesiam, ubi fit Statio, dicuntur ante Altare versus et orationes quæ ibidem subduntur.

Si Hymnus *Te Deum* cantetur, aut totus, aut ex parte ante Altare, stabunt omnes; tantum utroque genu flectent ad versum *Te ergo quæsumus* [2]. Si habita fuerit Processio, dicendi sunt omnes versus qui sunt in Rituali: cum tribus adjectis orationibus: secus satis est duos priores recitare [3], quibus adjungitur: *Domine exaudi orationem meam* etc. *Dominus vobiscum* etc. et prina oratio tantum.

1) Numquam tamen violaceus. *Missale Rom. Rubr. gen. Tit. XVIII. n. 5.*

2) *Cærem. Epp. L. II. Cap. V. n. 9. VI. 16.* Inclinatio ad alteram partem hujus versus nullibi præscribitur.

3) S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 2956, ad III.

Illud etiam permitti posse videtur, ut exposito SS. Sacramento, Hymnus Ambrosianus cantetur, cui deinde subjungatur aut totus aut ex ultima parte Hymnus *Pange lingua;* dein orationi SS. Sacramenti addatur oratio *Deus cujus misericordiæ* sub unica conclusione brevi: in hoc casu paramenta albi coloris esse debent.

317. **Processiones pœnitentiales** sunt illæ quæ, Episcopo aut præcipiente, aut permittente, fiunt præter prædictas, sive ad varia flagella avertenda, sive ad finem lucrandi indulgentias, præsertim tempore Jubilæi. In his communiter aut Litaniæ Sanctorum, aut Psalmi pœnitentiales cantentur, aut aliæ preces juxta prudens Episcopi judicium; sine cujus licentia hujusmodi Processiones extraordinariæ a nullis institui queunt.

Quoad Processiones, quibus occasione Jubilæi Summus Pontifex concedere solet, ut facilius fideles possint ejusdem favoribus frui, attendatur sequens Declaratio s. Pœnitentiariæ:

« Ordinarius quidam quæsivit, an censeri possint veluti Processiones ad Ecclesias designatas pro Jubilæo lucrando, visitationes, quas ille peragit una cum Capitulo et Seminario in vestimentis haud choralibus, sed nigris, psallendo voce submissa; et proinde an sit in suo arbitrio numerum visitationum imminuere, sicut est in sua facultate eas imminuere quæ processionaliter fiunt. — Resp. « Quatenus Processiones fieri nequeant more solito, affirmative » [1].

1) S. Pœnitentiaria, 31 Julii 1875.

TITULUS IV.

DE EXORCISMIS.

CAPUT I.

De exorcizandi potestate.

318. Nomen *Exorcismus*, ex græca origine derivatum, idem est ac ejectio vel expulsio. Nobis proprie Exorcismus est adiuratio imperativa [1] quæ fiat ad expellendum dæmonem a personis vel rebus, vel ad ejus virtutem compescendam, ne rebus vel personis nocere valeat. Adiuratio ad primum finem fieri non potest nisi a Ministris nomine Ecclesiæ agentibus, et juxta ritus ab Ecclesia præscriptos, et dicitur *Exorcismus solemnis:* adiuratio ad alium finem fieri quoque potest privata auctoritate, et dicitur *Exorcismus privatus* vel *simplex*.

Quod Deus potestatem Ecclesiæ contulerit non modo compescendi virtutem dæmonis, sed ipsum quoque dæmonem expellendi, constat ex divina Scriptura; et ex eo confirmatur quod Ecclesia semper hac potestate usa est, ut patet ex pluribus SS. Patrum testimoniis apud Theologos [2]. Quod si non

1) Ab hac distinguitur adiuratio deprecativa. quæ est vera deprecatio, et proinde fit erga superiorem. Eâ erga dæmonem uti, superstitio est.

2) Cf. plura apud **Suarez** *De Religione T. II. L. IV. Cap. II.* et **Arendt** *De Sacramentalibus. Art. XXIII. seqq.*

semper Exorcismi suum consequuntur effectum, id non ex defectu potestatis in Ecclesia petendum est, sed ex circumstantiis personarum, et divina permissione; ceterum aliquem effectum semper sortiuntur, si non complete, saltem imperfecte, vires dæmonum attenuando [1].

319. In Exorcismo, seu adiuratione imperativa, tria sunt distinguenda; *a*) persona quæ adiurat; *b*) obiectum quod adiuratur; *c*) auctoritas per quam fit adiuratio.

a). Exorcizans, vel persona adiurans adiuratione solemni, non potest esse nisi Minister, qui hanc potestatem acceperit ab Ecclesia. Eam accipiunt Clerici per Ordinem Exorcistatus; at impeditam veluti accipiunt, adeo ut eam nequeant exercere absque speciali delegatione ab Episcopo. Ad exorcizandum adiuratione simplici potestas Ordinis sufficit.

b). Qui exorcizatur, seu imperative adiuratur, est dæmon. Hinc apparet necessitas, quod adiuratio non fiat ab homine propria auctoritate, quum homo natura sit dæmone inferior, et Exorcismus fiat per modum imperii. Nihil tamen prohibet formam adiurandi dirigi in rem vel personam, a qua dæmon est expellendus; supponitur enim dæmon rem illam vel personam possidere, et cum ea aliquatenus confundi: unde non erat ratio, qua Protestantes hujusmodi Exorcismos ut irrationales et ridiculos traducerent.

c). Ille, per quem dæmon exorcizatur, est Deus ipse; ut patet ex usu Ecclesiæ, quæ dæmonem adiurare solet *per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum:* item adiurari potest per Jesum Christum, aut per virtutem Crucis. Si quando per

1) **S. Alphonsus.** *Theol. mor. L. III. App. ad n. 193* in fine.

B. Virginem, aut per Sanctos fiat adiuratio, spectatur in his specialis quædam virtus, quam Deus iisdem contulerit ad vires dæmonum deprimendas; quare et in his formulis adiurantur dæmones per auctoritatem Dei, qui in Sanctis suis invocatur [1].

CAPUT II.

De Exorcismo simplici.

320. Ad *Exorcismum simplicem,* per quem non dæmon ipse expellitur, sed ejus virtus compescitur ne noceat, sufficit ea potestas Ordinis, quam Clericus accipit in Exorcistatu: quare hujusmodi Exorcismi peragi possunt a quolibet Sacerdote, et, nisi aliud obstet, etiam a quolibet Exorcista: tales sunt qui fiunt a Sacerdote super infantem baptizandum. Ejusmodi Exorcismi dicuntur simplices, etsi solemniter fiant. Quoad Benedictionem deprecatoriam contra animalia nociva, vide quæ notavimus superius n. 221.

321. Quæres: Num poterit et quilibet privatus dæmoni imperare, ne sibi vel aliis noceat? - Respondent doctores licitum esse privatim dæmonem adiurare in virtute Dei, et per fidem in ipsum, et confidendo de virtute nominis Jesu. Id autem duobus modis fieri potest: Primo visibiliter, quando dæmon corporaliter hominem possidet et vexat. Tunc Exorcismus, si sit efficax, pertinet ad virtutem miraculorum, et sine speciali instinctu Spiritus sancti tentari non debet. Id Sanctos quandoque effecisse

1) Cf. **Suarez** *De Religione: l. c. n. 7.*

legimus in historia ecclesiastica, imo tale carisma in primitiva Ecclesia omnibus fidelibus commune fuisse videtur. Secundo privatim et occulte, imo et invisibiliter; quando fideles a dæmone tentati eidem resistunt fortes in fide, et ad exemplum quorumdam Sanctorum ei in nomine Domini intimant, ut discedat. Licet effectus hic non possit esse omnino certus, licite tamen et laudabiliter tentari et sperari potest in fide et virtute nominis et Crucis Jesu Christi [1]. A fortiori consuli poterit fidelibus, ut ad tentationes diabolicas superandas aut avertendas se ipsos, cubiculum, lectulum et alia sua signo Crucis et Aqua lustrali communiant, prout et monita et exempla Sanctorum nos docent.

In casu quod aliquis fidelis, ex iis præsertim qui student christianæ perfectioni, diabolicis infestationibus obsideatur [2], vetitum non est, ut vel Confessarius, vel ipse fidelis imperando procuret diaboli nequitiam compescere. Erit Exorcismus quidam privatus, qui, si magna cum fide fiat, utilis frequenter erit, non tamen infallibiliter efficax.

322. Quæres: Quid censendum de iis signis, quæ vulgo habentur ut *maleficia;* et quid in iis casibus agendum?

Resp: « Quod aliqua maleficia de facto accidant certissimum est; sed inter mille ex iis qui a rudibus prædicantur maleficiorum casibus, vix unus verus erit » [3]. Ergo generatim fides hujusmodi narra-

1) **Suarez** *De Religione l. cit. n. 11.*

2) Quamvis qui a dæmone possidentur dicantur communi vocabulo *obsessi*, tamen Doctores distinguunt possessionem ab obsessione. Ut in utroque casu prudenter te geras, consule in primis **Scaramelli** *Direttorio mistico. Tratt. V. Capp. VII, VIII, IX.*

3) **Berardi** *Praxis Confess. Vol. I. Tract. II. n. 260* (Ed. II.)

tionibus nonnisi cautissime præbenda est. Utcumque se res habeat, semper licebit ea quæ dicuntur signa maleficii destruere, vestes et cubilia purgando, ligamina et implexas agglomerationes comburendo; si non ad maleficium amovendum, saltem ad removendas sordes, quibus forte non raro tribuendi sunt morbi, quos femellæ tribuunt maleficiis. Si quando aut de vero maleficio constet, aut saltem de eo graves habeantur et fundatæ suspiciones, tunc Doctores dicunt adhibendos esse Ecclesiæ Exorcismos. Profecto non ille erit adhibendus, qui ponitur ad exorcizandos obsessos a dæmone: alii ad rem præsentem in Rituali non habentur; ergo danda esse videtur aliqua Benedictio opportuna, sive loci, sive domus, sive pueri aut adulti infirmi, aut Benedictio cum Reliquiis S. Antonii. Advertunt postremo in praxi recursum ad illos qui malefici dicuntur, vix umquam licitum esse; sive eo quod infirmus hoc modo novis periculis exponatur, sive quod aversiones vulgi adversus personas prorsus innoxias confirmentur, et vanæ feminarum superstitiones foveantur.

CAPUT III.

De Exorcismo solemni.

323. Nomine *Exorcismi solennis* venit formula illa quam ad dæmones expellendos instituit Ecclesia, et quæ habetur in Rituali Tit. X. Cap. 1. Hac formula tunc tantummodo utendum est, quum constet personam aliquam a dæmone possideri, seu proprie esse *energumenam*.

Quod possibiles sint, et quandoque dentur reales dæmonum obsessiones seu possessiones, certis-

simum est. Et in primis eas locum habuisse tempore Christi et Apostolorum, de fide est; quum evidenter id constet ex Divina Scriptura [1]. Posterius quoque exstitisse manifestum est ex pluribus Decretis Conciliorum, ex vitis Sanctorum, ex ritibus ab Ecclesia institutis. Tentarunt eas increduli negare; tentarunt et catholici quidam tum sibi, tum aliis earum falsitatem persuadere: at contra evidentiam factorum, tum illi, tum isti frustra decertarunt. Quinimo a medio sæculo superiori earumdem veritas nova quoque specie se luculenter patefecit: phænomena enim Mesmerismi, et Magnetismi animalis, præsertim in altero ac tertio stadio magnetizationis (præter casus probabiles et quandoque reales imposturæ), signa certa sunt diabolicæ possessionis [2].

324. In primitiva Ecclesia, quum inter carismata extraordinaria omnibus fidelibus communia daretur quoque potestas in dæmones, non aderat specialis Ordo ad dæmonis expulsionem constitutus; et illi qui sæculis secundo ac tertio apparent Exorcistæ ex Ordine in Ecclesiis occidentalibus et maxime in Romana, tales instituti sunt relate ad ritum baptismalem [3]. At progressu temporis, quum carismata extraordinaria desierint, et abusus facile essent timendi, Ecclesia sapientissime specialem Ordinem Exorcistatus instituit: ad evitandas vero hallucinationes hodierna disciplina est, ut potestas exorcizandi solemniter exerceri non debeat nisi a

1) *Matth. VIII, 28; IX, 3; XII, 22; XVII, 14;* etc. **Suarez** *l. c.*

2) Vide **Ballerini** ad *Comp. Theol. mor.* Gury, *Vol. I. num. 276,* seqq.

3) Cf. **Duchesne** *Origines du culte chrétien Chap. X. §. I.*

Sacerdote, et quidem accepta in singulis casibus delegatione ab Episcopo; licet id non placeat Jansenistis et quibusdam scriptoribus catholicis, qui maluissent Exorcismos fieri per Clericos minores, tum amore, ut dicunt, antiquæ disciplinæ, tum ne nimius honor diabolo tribuatur [1].

325. Sacerdos exorcizaturus diligenter attendat quas in ipso dispositiones requirant Rubricæ Ritualis [2]; et advertat efficaciam Exorcismi, secus ac in aliis Sacramentalibus, valde, imo et plurimum tribui dispositionibus exorcizantis, maxime vero ejus fidei et morum integritati et devotioni. Videat in primis, et indubiis argumentis disquirat, num agatur de vera diaboli possessione; ne forte aut hallucinationibus, aut imposturis, aut morbis quoque physicis decipiatur [3]. Quum de certa possessione constiterit, accepta ab Episcopo facultate, sua peccata confiteatur, vel saltem dolore perfecto de eis doleat, Sacrificium Missæ celebret, pios fideles et præsertim sanctimoniales ad orandum invitet, ipsemet quoque et jejuniis et orationibus se disponat. Vestes sacræ sunt superpelliceum et stola coloris violacei, cujus extremam partem ad collum personæ obsessæ circumponet: prius ipsam et se et adstantes signo Crucis cum Aqua benedicta præmuniat, et Litanias Sanctorum cum adstantibus recitet flexis genibus usque ad preces exclusive. Ritui exponendo non immoramur, quippe qui fuse et perspicue traditur in Rituali.

1) **Nicolaus Pavillon** in *Instruct.* præmissa *Rituali Alethensi.* **Nat. Alex.** *Theol. dogm. mor L. II. De Ordine, Art. IV.*
2) *Rit. Rom. Cap. I, n. 1, 10, 16. 22* etc.
3) Signa habentur in *Rituali n. 3,* etc. et apud **Ferraris** *Bibl. Can. v. Exorcizare, n. 17.*

TITULUS V.

DE AGENDIS PRO DEFUNCTIS.

CAPUT I.

De pietate erga Fideles Defunctos.

326. Quod est Catholicæ Ecclesiæ dogma « Purgatorium esse, et animas ibi detentas fidelium suffragiis juvari » [1], id semper in Ecclesia creditum ex historia præsertim liturgica comprobatur: verissimus in hoc quoque est canon SS. Patrum: « Legem credendi lex statuit supplicandi » [2]. Omissis monumentis sæculi IV et sequentium, quæ vel inviti fatentur Lutherus et Calvinus, eamdem Ecclesiæ fidem evincunt monumenta liturgica sæculorum præcedentium. Hæc tantum afferimus: Ex Tertulliano « Pro anima ejus (mariti) oret (vidua), et in refrigerium adpostulet, et offerat annuis diebus dormitionis ejus » [3]: ex Liturgia Jacobi: « Oblatio ista quæ a viventibus pro Defunctis offertur, expiat iniquitatem animæ, et per eam remittuntur delicta. » Quare inter hæreticos ab Augustino et Epiphanio relatus fuit sæculo IV Aërius, eo quod affirmaret « offerri pro mortuis non oportere ».

1) *Conc. Trident. Sess. XXV. Decr. De Purgatorio.*
2) *Ex Epist.* **S. Cælestini I.** *ad Epp. Gall. Cap. XI.* (ed. Garn).
3) **Tertull.** *De monog. cap. X.* item *De cor. mil. III.*

Pietas erga animas Defunctorum, debita cum proportione, ad eorum corpora sese extendit; quippe quæ certo resurrectura creduntur, et æternam beatitudinem participatura sperantur. Hinc sacro quodam cultu semper habitæ sunt exuviæ Fidelium Defunctorum, hinc eorum religiosa compositio ac repositio, hinc et mos et nomen *Cæmeterii* eo quod « in sepulturis christianorum requies Defunctorum est » [1].

327. Plures et variæ fuerunt formæ quibus fideles consueverunt suam pietatem Defunctis exhibere; aliquando etiam in abusus et superstitiones degenerarunt, quas Ecclesia sapientissimis legibus studuit compescere [2].

Formæ ab Ecclesia probatæ sunt sequentes: *a*) oblatio Sacrificii Eucharistici, sive immediate post mortem, sive statis quibusdam diebus, maxime anniversariâ [3]; *b*) preces speciales infra Missam, quo spectant Diptycha et commemoratio Defunctorum; *c*) communio Eucharistica, quæ a fidelibus in suffragium Defunctorum applicetur; *d*) interposita mediatio S. Michaëlis Archangeli; *e*) applicatio indulgentiarum; *f*) officium Defunctorum; *g*) piæ preces quæ pro Defunctis recitentur, nominatim Psalmus *De profundis; h*) annua omnium Defunctorum Commemoratio die 2 vel 3 Novembris, etc. Has ergo frequenter Parochi fidelibus et explicent et inculcent, utpote ab Ecclesia probatas.

1) **S. Ambrosius** *De Officiis L. II. Cap. XXVIII.* De religiosa cura cadaverum penes Christianos vide **De Rossi** *Roma sotterr. Vol. I. Noz. gener. Cap. I.*

2) Cf. Opp. **S. Zenonis** (ed. Giul.) ad *Tract. XV. L. II. n. VI.*

3) Huc refer Missam ad Altare privilegiatum, ac Missas Gregorianas, de quibus, quoad partem liturgicam, cf. **Fumagalli** *Manuale Vol. I. P. I. Cap. II. App. 2, 3.*

CAPUT II.

De ecclesiastica sepultura.

328. Sepultura ecclesiastica duo importat: *a*) locum aut Ecclesiæ Benedictione, aut Episcopi designatione, aut saltem usu destinatum ad Fidelium Defunctorum cadavera excipienda; *b*) ritum sacrum, quo sunt cadavera efferenda. Locus olim poterat esse Ecclesia, vel atrium ejusdem, aut claustrum monasterii; nunc regulariter nemo potest sepeliri extra publicum Cœmeterium: hinc de Cœmeteriis tantum dicemus, tum ea breviter attingentes quæ jurisdictionis quasi mixtæ modo sunt, tum fusius quæ spectant exclusive ad Ecclesiam, sive quoad locum, sive maxime quoad ritum.

329. A. **De juribus quae sibi attribuit auctoritas civilis relate ad locum et ritum sepeliendi.** — Cœmeteria publica sunt in proprietate Municipiorum, ad quæ pertinet illa manutenere, reficere, omnibusque sumptibus providere. Attamen lex civilis permittit adhuc quædam Ecclesiæ, quæ a Parochis oportet cognosci, ut data occasione exigantur. Permittit, ut infidelium cadavera in sepulchreto proprio diverso a christiano sepeliantur, aut, si diversum non habeatur, saltem in spatio per murum a sepulturis Christianorum separato; ut in Cœmeterio locus habeatur separatus pro acatholicis et infantibus absque Baptismo decedentibus; ut Crux aut etiam Oratorium exstruatur. Quum hæc sint Rubricis et Decretis conformia, Parochi studeant ea a Municipiis impetrare. Item exigant, ut

ea ad apicem serventur, quæ lex civilis statuit circa inviolabilitatem tum cadaverum, tum Cœmeteriorum.

Lex civilis, saltem hucusque in Italia, non prohibet Cœmeterium, utpote Fidelium Defunctorum asylum, sacris ritibus benedici. Benedictio hæc, omissa ea parte quæ acatholicis reservatur, facienda est per Sacerdotem ab Episcopo delegatum, eo ritu qui habetur in Rituali Tit. VIII. Cap. 29. Sicubi hæc Benedictio, aut per legem civilem, aut per arbitrium Municipii, vel interdicatur vel impossibilis reddatur, Sacerdos, qui cadaver associat, singulas sepulturas benedicet oratione assignata in Rituali Tit. VI. Cap. 3. n. 12 [1].

Nec in ritu sacro Ecclesia penitus independens est a civili auctoritate: hæc enim sibi jus adscribit determinandi tempus sepulturæ, modum delationis, viam; item jus prohibendi causa salutis publicæ ritum sacrum, et similia: in his opus erit ut Parochi conditionibus actualibus indulgeant. Fuse hanc materiam pertractat Rivarolo. *Il Governo della Parrochia V. I. Tit. II. Cap. III.*

330. B. **De legibus Ecclesiæ relate ad locum et ritum sepeliendi.** — Duæ sunt leges Ecclesiæ circa sepulturam. 1.° Ecclesia jubet, ut « nemo Christianus in communione Fidelium defunctus extra Ecclesiam aut Cœmeterium rite benedictum sepeliatur, » et ut, quantum fieri potest, cujuscumque Fidelis cadaver sacris ritibus ante sepulturam expietur [2]. Hæc autem lex obligat sub gravi, et quidem

1) S. Un. Inq. 12 Febr. 1862.

2) Primum habetur expresse in *Rituali Tit. VI. Cap. I. n. 18;* alterum ex eodem textu et communi fidelium sensu, et Ecclesiæ consuetudine constat. Vide Auctores citatos apud *Acta S. Sedis Vol. V.* pag. 210.

pro utroque sacræ sepulturæ elemento, etiam disjunctive. Hinc peccant graviter: *a*) qui aut viventes declarent, aut testamento edicant se nolle in sacro loco, aut sacro ritu sepeliri; *b*) qui scientes se ob censuram sacra sepultura interdici, ab ea absolvi non curant; *c*) qui familiarem, aut consanguineum, aut quemlibet defunctum utroque bono, aut alterutro privant, etiamsi in hoc ejus voluntatem aut præsumptam, aut certo perspectam exsequantur.

331. 2.° Exstat quoque lex Ecclesiæ, et quidem gravis, prohibens, ne cadavera defunctorum quorumdam in loco sacro et sacro ritu sepeliantur. Quibus vero dare non licet ecclesiasticam sepulturam, iisdem nec persolvere licet consueta funebria diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria.

Et in primis ecclesiasticâ sepulturâ prohibentur infideles omnes, quocumque nomine censeantur, ut per se patet: hinc etiam infantes absque Baptismate decedentes, et catechumeni.

Ex ipsis Fidelibus quidam prohibentur ratione censuræ, quidam ratione peccati, quidam ratione utriusque.

332. *Ratione censuræ* prohibentur excommunicati nominatim, et interdicti denuntiati. Utrique prohibentur absolute, adeo ut, etiamsi morientes dederint signa pœnitentiæ, nisi aut ante mortem aut post ipsam fuerint absoluti [1], privandi sint ecclesiastica sepultura. Si communitas interdicta fuerit nominatim, quidam dicunt denuntiatos esse singulos; at plures negant. Notorium Clerici percussorem

1) Formula absolvendi excommunicatum post mortem habetur in *Rituali Tit. III. cap. 4.* Item dicunt absolvendum esse interdictum indirecte. **Salmant.** *Curs. Theol. mor. Tract. X. cap. VI. punct. VI.* **Bucceroni** *De Cens. n. 151.* etc.

æquiparare veteres solebant excommunicato nominatim, dummodo talis sit notorietate tum *juris* tum *facti* [1]: at forte hæc exceptio contra regulam generalem nunc abiit in desuetudinem. [2].

333. *Ratione peccati* prohibentur ecclesiastica sepultura omnes peccatores publici qui impœnitentes decesserint. Porro ut hoc titulo denegetur cuipiam ecclesiastica sepultura, oportet ut constet de peccato, adeo ut nec de facto, nec de conscientia ullo modo dubitari queat; ut de peccato constet publice; ut ille impœnitens obierit, adeo ut nullum ne dubium quidem aut ambiguum pœnitentiæ signum habeatur. Quamvis hæc regula generalis sit, et ad quasvis species peccatorum applicanda, tamen classes tres peccatorum expresse nominantur in Rituali, quibus et aliæ addendæ sunt, sive ex Jure canonico, sive ex declarationibus SS. Congregationum. Itaque privandi sunt ecclesiastica sepultura:

1.° Excommunicati tolerati; dummodo de excommunicatione constet publice.

2.° Suicidæ. Ut de his decernatur, tria sunt inquirenda: *a*) an quis sibi mortem intulerit; *b*) an compos sui id patraverit; *c*) an facti pœnituerit. Ex his, primum et tertium non præsumuntur; de secundo non una est auctorum sententia: ad dubium solvendum proderit in anteactam vitam inquirere, indolem Defuncti dignoscere, cordatorum hominum, qui nullo familiæ aut amicitiæ vinculo cum suicida obstricti fuerint, sententiam scrutari. Post hæc, « quando dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari

1) **S. Alph.** *L. VII. n. 144.* **Bucceroni.** l. c. *n. 108* (ed. II).
2) **Pennacchi** *Comm. in Const. Ap. Sedis Vol. I.* pag. 89.

potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus Exsequiarum » [1].

3. Morientes in duello, aut ex vulnere accepto in duello excluduntur, non modo ratione peccati, sed et ratione specialis exsecrationis, qua Ecclesia hujusmodi crimen prosequitur. Hi enim sepultura ecclesiastica prohibentur, etiamsi extra locum duelli moriantur, imo etsi nedum pœnitentiæ signa dederint, sed et Sacramenta omnia Ecclesiæ susceperint. Ex Const. Bened. XIV « *Detestabilem* » 10 Nov. 1752.

4. Concubinarii, et proinde etiam qui juncti sint matrimonio mere civili; si constet, utique certo et publice, de statu concubinatus, nec ullum signum dederint pœnitentiæ, saltem admittendo Sacerdotem. Eadem de causa excludendi sunt raptores, adulteri, blasphemi, qui impœnitentes obierint.

5. Qui aut voce aut testamento mandaverint, ut suum cadaver comburatur, vel nomen societatibus dederint, quibus propositum est promovere usum comburendi cadavera. Quum utrumque sub gravi prohibitum sit [2], hi quoque ecclesiastica sepultura interdicuntur ratione peccati, adeoque si peccatum certum sit et publicum, nec ante mortem signum dederint pœnitentiæ. « Eos vero qui non sua, sed aliena voluntate cremantur, ritu catholico efferre, eisque in Ecclesiis justa persolvere, et licet et oportet. At eorum seu cadavera ad ustrina (vel civiliter) comitari, seu cineres ad locum sepulturæ ecclesiastico more deferre, eisve coram positis Exsequias peragere quasi præsente cadavere, nec oportet, nec licet: esset enim reviviscentes ethnicos

1) S. U. Inq. 16 Maji 1866. Circa statum animi quo diversimode affici possunt suicidæ, bene consulitur D.' **Capellmann** *Medicina Pastoralis. pag. 61* (ed. IV. latin.)

2) S. U. Inq. 6 Maji 1866.

mores et detestabilem abusum comprobare facto et reipsa. Verum cineres ipsos, propter impietatem ejus qui cremari jussit, loco sacro prohibere nemo potest recte, si quid opinor, et salvo jure Defuncti »[1].

6.° « Illi de quibus publice constat quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierint. » Ita quidem Rituale; at isti peccatores non sunt sepultura sacra interdicti, nisi postquam Episcopus publice edictum proposuerit, quod hodie proponi non solet. Quare « hodie nemini solet hac ratione sepultura negari, nisi certo constet, quod sciens et volens decessit impœnitens »[2].

7.° Hisce accensendi sunt et alii peccatores manifesti et publici; et illi quoque, qui, licet tales non fuerint in vita, tamen in morte obstinate testibus præsentibus Sacramenta recusent; quare circa hos vitari debet, quantum fieri potest, publicitas[3].

334. *Ratione censuræ et peccati* excluduntur a sepultura ecclesiastica omnes schismatici et hæretici ex secta; nec opus est ut contra istos sententia lata fuerit nominatim. Itaque « non licet catholicos eorum sepulchris, et eos catholicorum sepulchris licet gentilitiis inferre. Primum grave est, quia redolet quamdam cum eis communicationem in divinis; alterum gravius, quia quasi hæresim redolet . . . Nihilominus ad cavenda deteriora, utrumque tolerari potest, et in priori casu sufficit justa causa; in posteriori causa oppido gravis opus est; remota utrobique quavis

1) Ita sapienter Em. **D'Annibale** *Summ. Theol. Mor. I. 116.*
2) **Scavini** *Theol. mor. L. III. n. 244:* cf. et *L. IV. n. 63.*
3) **Bucceroni** *De Censuris n. 167.*

vetitæ communionis specie, vel periculo indifferentismi » [1].

335. Omnes isti ecclesiasticâ sepulturâ prohibentur per legem Ecclesiæ. « Si quis ergo... juxta sacros Canones et normas hac super re a Doctoribus traditas, ecclesiasticâ sepulturâ carere omnino debeat, et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur Exsequiæ et ipsa ecclesiastica sepultura, quomodo in huiusmodi casu se gerere debeat Parochus? — Resp: Curandum ut cuncta ad normam sacrorum Canonum fiant; quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, Parochus neque per se, neque per alios Sacerdotes ad Exsequias et ad sepulturam ullo modo concurrat » [2].

Verum quæres: Quid si gravi metu incusso a Parocho aliisque Sacerdotibus sacræ Exsequiæ exigantur?

Resp: Quum lex ista sit ecclesiastica, et proinde cum incommodo vere gravi non urgeat, ideo Parochus aliique Sacerdotes a peccato excusantur, dummodo Exsequiæ in contemptum Religionis non extorqueantur; quo in casu omnia potius mala et permittere et pati tenentur. Hoc adeo verum est, ut S. Inquisitio censuerit sepulturam quoque hæreticorum tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest [3]. At vero, si aut massonica vexilla circa feretrum apponantur, aut societas massonica qua talis velit funeri interesse, nimis evidens est Christianæ Religionis contemptus, ac proinde quivis ecclesiasticus ritus prorsus est dene-

1) **D'Annibale.** *op. cit. Vol. I. n. 114:* ex quo fere omnia præcedentia et sequentia deprompsimus.

2) S. Pœnit. 10 Decembris 1860 ad XXI.

3) S. U. Inq. 13 Julii 1609: idem arguere licet ex S. Pœnit. 10 Dec. 1860 ad XVIII.

gandus [1]. — Postremo monemus in his casibus omnibus *semper* consulendum esse Ordinarium.

336. Pœnæ ab Ecclesia in eos latæ qui leges circa sepulturam ecclesiasticam violent, duæ sunt: *a*) mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos incurrunt excommunicationem nemini reservatam; ex Const. *Apostolicæ Sedis; b*) scienter nominatim excommunicatos admittentes ad ecclesiasticam sepulturam interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint; ex eadem Constitutione. De quibus conferantur Commentatores Constitutionis prædictæ — Adest et quasi-pœna *pollutio*.

337. Pollutio Cœmeterii per hoc contrahitur, quod in eo actiones quædam determinatæ fiant, reverentiam loci sacri minime decentes; licet enim hæ actiones loci sacri sanctitatem non tollant, at eam adeo lædunt, ut Ecclesia nolit cadavera Fidelium in eo sepeliri, nisi antea ritu præscripto reconcilietur. Hujusmodi actiones quinque sunt: *a*) injuriosa et notoria humani sanguinis effusio; *b*) injustum et notorium homicidium; *c*) illicita humani seminis effusio intra Cœmeterium; *d*) sepultura hominis excommunicati; *e*) sepultura hominis infidelis. Circa tres priores actiones conferri possunt Canonistæ; nos de quarta et quinta dicemus breviter.

338. Cœmeterium polluitur per sepulturam hominis excommunicati: intellige excommunicatum nominatim, et probabiliter etiam notorium Clerici percussorem [2]. Hinc non polluitur Cœmeterium

1) **Pius IX.** ad Archiep. Paris. 26 Oct. 1865, et C. S. 15 Jan. 1890. Decretum hoc invenies inferius n. 352.
2) At præ oculis habe quæ diximus n. 332.

per sepulturam excommunicati tolerati, aut interdicti etiam notorii et nominatim denuntiati, aut peccatoris licet publici et impœnitentis, aut schismatici vel hæretici licet notorii [1]. Item polluitur per sepulturam infidelis, idest, non baptizati; at saltem probabile est nomine infidelium heic non venire catechumenos, et infantes ex parentibus christianis absque Baptismo defunctos [2].

339. Quæres: Quid ergo agendum, si cujuspiam cadaver in sacro Cœmeterio sepultum sit contra leges Ecclesiæ?

Respondeo: Si ejus ossa discerni possunt, et id per leges civiles liceat, exhumanda sunt et extra locum sacrum sepelienda. At insuper, si agatur de excommunicato vitando aut infideli, cujus sepultura sacra vetabatur, non modo in pœnam criminis sive realis sive legalis, sed insuper ob reverentiam loci sacri, Cœmeterium jam est pollutum, nec in eo licet Fidelium corpora sepelire, quousque, eo cadavere expulso, Cœmeterium ritu sacro reconcilietur. Porro in præsenti rerum conditione nec licet Cœmeterium reconciliare, nec cadavera alio in loco sepelire. Hinc Episcopi plures, forte hujusmodi Cœmeterium habentes ut jam profanatum et exsecratum, huic malo consuluerunt, præcipientes Sacerdotibus aut Cœmeteriorum Cappellanis, ut quoties alicujus Fidelis corpus sepeliunt, toties foveam benedicant eâ formulâ quae habetur in Rituali Tit. VI. Cap. 3, n. 12. Ceterum, quum paucissimi sint excommunicati vitandi, et leges civiles communiter Judaeis propria Cœmeteria concedant, casus quo

1) Vide **Ballerini** *Opus theol. Vol. II. n. 188, 189, 194.* et **D'Annibale** *Summ. Theol. mor. III. 18. 31* (ed. Reat.).
2) Cf. **Schmalzgr.** et alios apud **Ballerini** *Op. cit. n. 195.*

Cœmeterium indigeat reconciliatione, aut sepulchrum Benedictione, rarissimus erit.

CAPUT III.

De juribus et obligationibus Parochorum quoad Exsequias.

340. Advertimus in primis per constituta publica Cœmeteria non fuisse mutatam legislationem Ecclesiæ quoad jura et obligationes Parochorum in Exsequiis: tantum mutatum esse locum sepulturæ materialis, eo quod Cœmeteria subrogata sint singularum Ecclesiarum sepulturis. Quare quod olim cuipiam Ecclesiæ competebat *jus tumulandi*, nunc est *jus exponendi*, seu jus ut in illa Defuncto justa funebria persolvantur.

Jura Parochorum sunt duplicis generis; alia ad jurisdictionem pertinent, alia ad emolumenta.

341. Solus Parochus, ad quem Defunctus ratione domicilii vel quasi-domicilii pertinebat, habet jus deducendi funebri pompa cadaver usque ad locum sepulturæ, scilicet usque ad Ecclesiam exponentem, transeundo, si opus sit, per Parœcias aut Diœceses alienas. Ratio est, quia Parocho commissi sunt ab Episcopo parochiani, ut eos et exemplo, et verbo, et Sacramentorum pabulo enutriat, ut eis hinc migrantibus adsistat, ut eis defunctis ritus ecclesiasticos præbeat, et eorum corpora in loco dormitionis reponat. Hinc ad Parochum spectat stolam super cottam assumere, Defuncti cadaver, antequam domo efferatur, Aqua lustrali aspergere, antiphonam *Exsultabunt* præcinere. ac tandem cadaver ad Ec-

clesiam tumulantem, seu exponentem deducere. Si Ecclesia exponens sit ipsa Ecclesia parochialis, ejusdem Parochi erit et funebria in eadem persolvere; at si haec aliena sit, ad hujus Prælatum seu Parochum ea funebria pertinebunt, Parocho Defuncti recedente, aut ad summum absque stola præsente: parochialis jurisdictio tunc penitus desinit, quum cadaver in Ecclesiam alienam exponentem fuit introductum [1]. Si Defunctus duo habuit domicilia, præferendus est Parochus illius in quo decessit.

In Processione funerea omnes sub unica Cruce incedunt: haec autem propria erit Cathedralis, si hujus Capitulum intersit; secus Ecclesiæ exponentis.

342. Si Ecclesia exponens sit Ecclesia Parœciæ illius ad quam Defunctus pertinebat, omnia emolumenta funeraria huic eidem Ecclesiæ ejusque Parocho obveniunt. At si diversa sit, sive ex voluntate Defuncti, sive ex jure aliunde acquisito, tunc emolumenta cedunt Ecclesiæ exponenti [2]; hæc autem debet Parocho Defuncti portionem quam canonicam dicunt ex omnibus quæ ratione funeris, seu in die funeris obveniunt; hæc portio communiter est quarta pars ex jure communi. Si quis in duabus Parœciis domicilium habuit, hæc inter duos Parochos erit dividenda; item, ut videtur, si in una domicilium habuit, in alia quasi-domicilium. Verum

1) S. R. C. 23 Apr. 1895, n. 3854. At si Cœmeterium juxta leges civiles habeatur publicum et pluribus Parœciis commune, Parochus Defuncti exercet in Cœmeterio vel in Sacello ejusdem suam jurisdictionem, quam exerceret in propria Ecclesia parochiali. Ita **Avanzini** apud *Acta S. Sedis Vol. V.* pag. 350, a quo dissentire videtur **Berengo** *Ench. Paroch. P. III. Cap. I. n. 167.*

2) Hæc non intelliguntur de templo vel oratorio, quod adnexum sit Cœmeterio pluribus Parœciis communi.

in his omnibus valde tribuendum est juribus particularibus et legitimis consuetudinibus.

At ea quæ Parocho aliisque Sacerdotibus dantur pro associatione cadaveris a domo usque ad Ecclesiam, hæc ipsis dantur: præter hæc, Parochus ejusque Ecclesia jus habent ad portionem funerariam.

343. Parochis inculcat Rituale n. 6, ut occasione funerum a quavis specie simoniæ vel turpis quæstus maxime caveant. Quæ enim Parocho a Fidelibus pro funere (non pro Officio et Missa, vel pro determinato numero Sacerdotum) offeruntur, sive pecuniæ sint, sive ceræ, sunt mere oblationes et eleemosynæ, ad quas Parochus jus proprie dictum non habet; licet et contra pietatem, et contra justitiam peccare possint familiares denegantes eas eleemosynas quas juxta conditionem familiæ, aut multo magis juxta expressam voluntatem Defuncti solvere tenentur. Quamvis hæc monitio nostris præsertim temporibus religiose servanda sit, id tamen minime prohibet, quominus Parochi ad querimonias vitandas funera in varias classes distribuant, quas ab Episcopo probatas familiaribus Defuncti exhibeant, ut ex eis eligant. Ceterum si familiares velnti gratis deferri cadaver, Parochus id præstare tenebitur, quemadmodum Rituale pro funeribus pauperum decernit.

Si de paupere defuncto agatur, maxime curet Parochus ne vulnus addat vulneri: ad funus gratis ducendum se facile exhibeat, ipsa quoque lumina gratis præstando, nisi quoad hæc pia quæpiam societas in Parœcia habeatur.

Monet insuper Rituale Parochos, ut caveant ne antiquus ritus deferendi circa cadavera cereos accensos omittatur, aut ne quid avare, aut indigne in eo committatur. Quoad primam partem communis

est opinio recentiorum heic non agi de iis candelis quæ Sacerdotibus offeruntur, sed de iis candelis aut intorticiis quæ circa feretrum in via et in Ecclesia sunt disponenda. Quoad alteram adverte eam respicere posse tum familiares Defuncti, tum Parochum; caveat iste ne eam adversus illos perurgens, in eamdem ipsemet offendat.

CAPUT IV.

De Exsequiis præsente cadavere.

344. Quamvis non idem semper sit usus auctorum, communiter tamen complexus rituum qui pro Defuncto peraguntur, cujus adhuc insepultum sit cadaver, sive hoc præsens sit, sive absens, nomen obtinet *Exsequiarum;* pars vero illa Exsequiarum quæ fit super feretrum præsente cadavere, item ritus qui super tumulum fit cadavere absente, generatim nomen *Absolutionis* accepit. Prosequentes tum quæ sunt in præcepto, tum quæ sunt in votis Ecclesiæ, dicemus *a*) de cura habenda super cadaver, antequam domo efferatur; *b*) de ejusdem deductione ad Ecclesiam; *c*) de Officio super ipsum recitando; *d*) de Missa exsequiali; *e*) de Absolutione super feretrum.

345. A. **De cura cadaveris habenda, antequam domo efferatur.** — Pia mater Ecclesia, quæ Fidelibus morientibus omnia quæ potest media salutis suppeditat, eadem Defunctis omnia sollicitæ expiationis studet exhibere suffragia. Hunc spiritum Ministri Ecclesiæ pro viribus æmulari studeant: Parochus itaque, vel Sacerdos, cui ex justitia, aut ex caritate hoc onus incumbit adsistendi infirmo,

postquam eidem Sacramenta ministravit, et Benedictionem apostolicam concessit, pias illas preces super ipsum recitet, quæ ab Ecclesia sapientissime instituta exstant in Rituali Tit. V. Cap. 4-8. Cetera quoque præstet, quæ ab auctoribus Theologiæ moralis aut pastoralis hac super re traduntur: foveat quoque et, si opus sit, restituat piam consuetudinem, ut quum alicui Fideli mors instare judicatur, ceteri per signum campanæ ad preces pro felici ejus transitu fundendas invitentur. Mox vero, ut adverterit animam egressam esse, pia suffragia præstet quæ eodem Capite 8 habentur n. 3, mutando in oratione genus pro femina.

Antequam domo discedat, familiares moneat ut corpus componant honeste, inter manus Crucem aptent, vel manus in modum Crucis super pectus disponant, lumen accendant, et usquedum efferatur cadaver, diu noctuque vigilantes orent pro Defuncto. Optima quoque est consuetudo, ut vel in ipso cubiculo, si liceat, vel in proximo Oratorio, Missæ pro anima illius quamprimum celebrentur.

Signum emortuale detur pro loci consuetudine, ut audientes pro anima Defuncti Deum precentur, nisi alicubi per leges civiles id prohibeatur. Hoc signum ab Ecclesia quandoque prohibetur: *a*) per leges canonicas, ut puta tempore interdicti, vel quando Defunctus sepulturâ ecclesiasticâ sit privandus: *b*) per leges liturgicas, nempe in triduo mortis Domini, et in Festis solemnioribus 1æ classis, in quibus breve signum dari poterit post vesperas.

346. Decernit Rituale Tit. VI. cap. 1. n. 11, ut cadavera Clericorum superpelliceo super vestem talarem induantur; qui vero sunt in sacris induantur paramentis coloris violacei juxta proprium

Ordinem. Num hæc Rubrica modo sit præceptiva, quum cadavera exponi non soleant, potest dubitari: saltem non videntur esse arguendi, qui deficientibus paramentis coloris violacei paramenta coloris nigri substituant.

Ita congruit profecto ut Regulares habitu proprii Ordinis induantur; imo et qui pertinent ad aliquam confraternitatem, puta SS. Sacramenti, aut Tertii Ordinis S. Francisci, induantur veste suæ Confraternitatis. Demum et maxime decet ut virorum corpora a viris, feminarum a feminis curentur et vestiantur.

347. B. **De cadaveris deductione ad Ecclesiam.** — Ad avertendas et a se, et multo magis a familiaribus Defuncti molestias, Parochus caveat, ne in efferendo cadavere præveniatur hora a civili auctoritate determinata. Hac hora adveniente, et præmisso campanæ signo, institui debet juxta Rituale Processio ab Ecclesia ad domum Defuncti; et congruit sane in urbibus, et quoties domus non valde distet ab Ecclesia. Ejus Processionis ordo is est, quem proponemus a domo ad Ecclesiam, n. 351.

Confratres, si habeantur, proprium habitum induant; Regulares, si sub propria Cruce, propriis vestibus incedant; si sub aliena, habeant et ipsi superpelliceum, quemadmodum Clerici et Sacerdotes sæculares. Parochus vel Sacerdos celebrans [1] assumat superpelliceum et stolam coloris nigri, cui addere potest et pluviale ejusdem coloris. Quoad pluviale, quia non proprie præscribitur, Parochus ad jurgia vitanda, in eis normis quas ab Episcopo

1) « Stola, quum sit insigne officii, ab eo tantum induatur, qui munere celebrantis fungitur ». S. R. C. 21 Julii 1855, n. 3035, ad II.

probandas curabit, normam quoque determinet circa usum pluvialis, ut nempe adhibeatur pro certa funerum classe, vel pro Confraternitate, aut certe pro Sacerdotibus, etc. Nec Celebrans albam, nec Ministri assumant dalmaticam et tunicellam; quæ sacræ vestes a Rituali non memorantur [1]; et hoc etiamsi postea Missa solemnis celebretur.

348. Interim, curantibus familiaribus, componetur cadaver Defuncti in sua arca, sive in cubiculo emortuali, sive in alio loco apto, unde facile possit efferri. Arca juxta morem cooperietur stragulo nigri coloris Cruce aliisque christianis symbolis ornato [2].

Quæstio proposita fuit S. R. Congregationi: « Utrum feretrum, si in eo corpus puellæ innuptæ reconditur, panno ex lana alba contexto cooperire liceat in signum virginitatis? » Respondit: « Negative » [3]. Juxta spiritum Liturgiæ Ecclesiasticæ, quæ in Exsequiis adultorum paramenta præscribit nigri coloris, et relatum Responsum, Episcopi quidam usum straguli coloris albi omnino interdixerunt: quidam vero advertentes sine magnis perturbationibus ac tumultibus non posse in suis Diœcesibus abusum illum eliminari, a S. Congregatione quæsierunt: « Utrum usus panni coloris albi tolerari possit, ne tumultus exoriantur in populis? Sacra vero Congregatio declaravit « attentis expositis tolerari posse, ut fascia nigri coloris, non tamen in modum Crucis, superponatur panno albo, ita tamen ut in quatuor lateribus appareat, quo fideles agnoscant Defunctum egere suffragiis, et Ecclesiæ

1) S. R. C. 23 Maji 1846, n. 2915, ad VIII., et 6 Febr. 1858, n. 3066. Num consuetudo diversa a præscripto Ritualis, alicubi vigens, sustineri possit, alii viderint.

2) Quod stragulum supponatur arcæ, nimis novum est.

3) S. R. C. 21 Julii 1855, n. 3035, ad XI.

precibus etiam propriàs adjungant » [1]. Ceterum quæ et quot incommoda hanc praxim nostris præsertim diebus eliminandam suadeant, videri potest in Epistola Illmi Episcopi Bergomensis Speranza apud Fumagalli *Manuale Vol. II.* ad v. *Stragulum.*

349. Apponi possunt super feretrum insignia dignitatis personæ defunctæ, ex. gr. cotta pro Clerico, stola pro Sacerdote, rocchettum cum stola pro Canonico; item vestis propria Ordinis vel Confraternitatis ad quam Defunctus pertinebat; imo et stemmata gentilitia e feretro pendentia. At nullatenus tolerari possunt insignia societatis ab Ecclesia damnatæ.

Non videtur improbanda praxis quod super feretrum personæ adultæ matrimonio non ligatæ apponatur corona ex floribus contexta; quemadmodum permittit Rituale quoad cadavera parvulorum in signum integritatis carnis et virginitatis [2]. At merito improbandus et pro viribus explodendus est mos, spiritus massonici haud expers, lampades in quatuor angulis appendendi quæ æthere ex vino distillato nutriuntur [3]. Usus vero contegendi ramis et floribus tumulos qui eriguntur in Ecclesiis occasione funeralium, ideoque et feretrum, tolerari potest [4], at non decet in parietibus Ecclesiæ suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant [5].

350. Quum Clerus ad domum Defuncti devenerit, « distribuuntur cerei et accenduntur intorticia. » Cerei intelliguntur candelæ quæ Sacerdotibus of-

1) S. R. C. 31 Augusti 1872, n. 3263.
2) Præter **Baruffaldum** et **Catalanum** in h. l. cf. **Berengo** *Ench. Paroch. P. III. n. 172.*
3) Cf. *Ephem. Liturg. 1887* pag. 252, seqq.
4) S. R. C. 16 Junii 1893, n. 3804, ad VI.
5) S. R. C. 22 Maii 1896, n. 3909.

feruntur; intorticia, quæ a Clericis aut pueris vel viris deferenda sunt circa feretrum in via, et circa ipsum disponenda in Ecclesia. Quoad candelas, opinio est communior Rubricistarum eas esse oblationes factas Sacerdotibus, ac proinde accendendas non esse [1]: quidquid sit de jure, optandum ut uniformitas in variis Parœciis observetur aut, sicubi desit, per episcopale decretum introducatur.

Profecto spiritui Ecclesiæ non respondet praxis hodierna, ut dum in cereis qui Parocho et Sacerdotibus offeruntur maxima servatur parsimonia, plura intorticia ab amicis vel membris societatum post feretrum deferantur: at ad majora mala vitanda bonum est quod Parochus conditioni temporum cedat et taceat.

351. Quum omnia rite fuerint parata, Parochus, vel Sacerdos celebrans, ad pedes Defuncti accedens, detecto capite, ipsum ter aspergit Aqua benedicta, in medio, a sinistris sui ipsius, et a dextris: mox dicit antiphonam *Si iniquitates* cum Psalmo *De profundis;* quem aut alternatim recitat cum Clero, aut simul cum Clero alternatim cum cantoribus. In fine dicitur *Requiem æternam dona ei Domine, et lux perpetua luceat ei*, et sic semper in numero singulari, præterquam in Officio et Missa. Repetita antiphona, omnes caput cooperiunt [2] et inchoatur Processio.

Ordo Processionis hic erit: Præcedunt Confra-

1) Ita **Fornici, A. Carpo,** etc. Contrarium tenere videtur **Martinucci** *Manuale SS. Cerem. L. III. Cap. XI. n. 6.*

2) *Rituale Romanum Tit. IX. Cap. I. n. 3* decernit in Processi nibus incedendum esse *sine galeris, nisi pluvia cogente;* at quam inconveniens sit iisdem uti in funeribus, pluvia non cogente, nemo non videt. Cf. **Ferraris** *Bibl. Can.* v. *Sepultura n. 229.*

ternitates laicorum cum suis vexillis eo ordine quem alibi indicavimus; deinde post Clericum Cruciferum Regulares, si adsint; Clerici sæculares; postremo Parochus: si Capitulum Ecclesiæ Cathedralis intersit, Parochus stolam quidem retinet, at Capitulum post ipsum incedit: idem dicendum de Capitulo collegiali adsistente, nisi contraria consuetudo habeatur.

Quum Processio movetur, Parochus intonabit antiphonam *Exultabunt*, quæ non duplicatur: cantores vero inchoabunt Psalmum *Miserere:* si longitudo itineris exigat, dicuntur Psalmi graduales et alii ex Officio Defunctorum; « qui Psalmi *devote, distincte, gravique voce* recitari debent usque ad Ecclesiam » [1].

352. Post Celebrantem, vel post Capitulum, defertur cadaver super suum feretrum a quatuor lecticariis, vel Confratribus veste propriæ Confraternitatis indutis. Nullatenus permitti potest, ut Clerici cadaver cujuscumque laici deferant; possunt ipsi cadaver deferre ecclesiastici viri, quo in casu super vestem talarem assument tantum superpelliceum; fimbrias panni funebris sustinere prohibentur absolute [2]. Quod corpora feminarum et parvulorum per feminas vel puellas deferantur, saltem ubi consuetudo viget, videtur permitti posse, dummodo decori ac modestiæ consulatur [3].

Sacra Congregatio Epp. et Regg. edixerat die 17 Martii 1650 abusum esse non tolerandum, quod cadavera e domo ad Ecclesiam super currum deferantur: verum S. Congregatio Rituum censuit

1) *Rit. Rom. Cap. 3. n. 2.*
2) S. R. C. 22 Martii 1862, n. 3110, ad XV.
3) Cf. **Cavalieri,** *Decr. Comm. Tom. II. Cap. XV. Decr. 4.*

usum currus posse tolerari; et in eo quoque casu Parochum ceterosque de Clero sacris vestibus indutos funus associare debere, tum a domo ad Ecclesiam, tum ab Ecclesia ad Cœmeterium [1].

Feretrum possunt prosequi consanguinei et amici Defuncti, inter quos si forte et increduli et hæretici vel excommunicati intersint, id quidem deplorandum est, at nullatenus impediendum. Attendatur tamen ad Declarationem Cong. S. Officii: « I. Il clero d'una parrocchia può intervenire ai funerali di persona non appartenente alla massoneria, ma nel corteo della quale prendono parte i membri delle logge Massoniche rivestiti delle loro insegne, invitati officialmente dai loro venerabili, ed officialmente accettati dagli ordinatori dei funerali stessi per occupare un posto determinato nel corteo, convocazione ed accettazione rese pubbliche sui giornali? II. Lo potrebbe con questa sola differenza che i framassoni non rivestano le loro insegne, restando immutate le altre circostanze? III. Se il clero non può presiedere a così fatti funerali, questi saranno puramente civili, come si suol dire. In questo caso i cattolici possono assistervi, o se ne debbono astenere? Potrebbero essere scusati, se per semplice curiosità essi si recassero a vedere sfilare il corteo? » — S. C. respondit: « Ad I. Negative. Ad II. Negative, si societas vulgo *massoneria*, qua talis moraliter intervenit: secus, si socii *framassoni* tamquam personæ privatæ incedunt. Ad III. Interesse, seu intervenire illicitum est; tanquam spectatores esse, illicitum haud est » [2].

1) S. R. C. 5 Martii 1870, n. 3212, 15 Julii 1876. n. 3405.
2) C. S. O. 15 Jan. 1890. — Quænam vexilla prohibeantur ingredi Ecclesiam indicavimus n. 278; eadem tamen non prohi-

353. Juxta præscriptum Ritualis, pompa funebris a domo Defuncti dirigetur recte ad Ecclesiam, h. e. per viam breviorem, nisi forte necesse sit iter longius obire ut explicari possit Processio; quod pluribus S. C. Decretis confirmatur. Quum Processio ad Ecclesiam pervenerit, abrupto Psalmo, et adiecto versiculo *Requiem* etc. repetitur antiphona *Exsultabunt:* post ingressum vero Celebrantem in Ecclesiam, cantore incipiente, et Clero alternatim respondente, cantatur Responsorium *Subvenite,* juxta eam divisionem quæ habetur in Rituali hoc loco.

Circa modum deponendi cadaver in Ecclesia clara est Rubrica Ritualis Cap. 1. n. 17; cap. 3. n. 4: Diaconi heic laicis adnumerantur.

Si nec Officium, nec Missa exsequialis habeatur, mox Celebrans dicit orationem *Non intres,* et reliqua ut infra n. 357: secus hæc post Officium aut post Missam differuntur.

354. C. **De Officio Defunctorum.** — Rubricæ n. 4. et 16, quæ Officium respiciunt in Exsequiis recitandum, certe sunt directivæ. Quare postquam cadaver fuit in Ecclesia collocatum, et recitatum est Responsorium *Subvenite,* ceteris omnibus omissis, potest Celebrans legere orationem *Non intres,* et cetera prosequi, quæ inferius exponemus. Verum, quum votum Ecclesiæ sit ut et Officium recitetur, non erit abs re quædam de hoc adnotare.

bentur funus prosequi in via, nisi ad damnatas societates pertineant.

Quod si nullis massonicis signis appositis, funus civile agitur, huic interesse ex justa causa, ad meram civilem cæremoniam exhibendam, a culpa excusandum videtur, nisi scandalum, quod facile adest, oriri prævideatur. Cf. **D'Annibale.** *Summ. Th. Mor. I. n. 185.*

Itaque deposito corpore in Ecclesia, dicatur Officium Defunctorum, vel saltem primum Nocturnum cum Laudibus, aut etiam sine Laudibus, maxime ubi hæc vigeat consuetudo [1]. Clerus sedere poterit in Choro, vel circa feretrum pro varia consuetudine; congruit, ut qui munere Celebrantis functus est in Processione, eodem fungatur in Officio. Nocturno, etsi primum tantum recitetur, præmittendum est Invitatorium: Laudes concluduntur a Celebrante ut in Rituali n. 5, omisso Psalmo *De profundis*, etsi unum Nocturnum recitetur [2]. Oratio, siquidem aut Missa sequatur, aut Absolutio ad feretrum, dicenda est cum conclusione brevi.

Quid agendum sit quoad Exsequias tempore Expositionis XL Horarum diximus in *Lit. Sacramentorum* n. 123: at nullatenus eo tempore licet recitare Officium Defunctorum [3].

355. D. **De Missa exsequiali.** — Ex Rubricis Ritualis duo exoptat Ecclesia: *a*) ut Missa pro anima Defuncti applicetur; *b*) ut eadem speciali ritu emortuali celebretur de *Requiem*.

Quoad primum: Quum fidei dogma sit Sacrificium Eucharisticum propitiatorium quoque esse pro Defunctis, curabit Parochus familiares Defuncti exhortari ut hanc Missæ applicationem procurent, juxta antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem.

Qæres 1°: Quid agendum, si Missa de *Requiem*, præsente cadavere celebranda sit die festo? — Certe hæc non est causa sufficiens, qua Parochus

1) Ad verba Psalmi V. *Adorabo ad templum sanctum tuum* non videtur caput esse detegendum. Ubi consuetudo vigeat substituendi Laudibus Litanias Sanctorum cum invocatione *ora* (*orate*) *pro eo* (*pro ea* vel *pro eis*), ea potest retineri.

2) S. R. C. 25 Augusti 1818, n. 2587, ad III.

3) S. R. C. 19 Junii 1875, n. 3357.

aut Missam pro populo in aliam diem transferat, aut huic obligationi eodem die festo satisfaciat per alium [1]. Item certum est quod Missa diebus festis, etiam suppressis, applicanda pro populo concordare debet cum Officio diei [2]. Quare hoc in casu Parochus debet aut Missam de *Requiem* aliam in diem transferre, aut ejus celebrationem alteri Sacerdoti committere.

Quæres 2°: An idem præstandum sit a Sacerdote, qui pro cappellania festiva debeat celebrare? — Affirmative, si obligationem diei festivo fundator adnexuit intuitu majoris suffragii animæ suæ; secus, si ad populi commoditatem: hinc res ex tabulis fundationis definienda erit.

Quæres 3°: Num necessario Missa applicanda erit, etsi agatur de paupere Defuncto, pro quo familiares eleemosynam Missæ non erogant? — Erit commendabilis actus caritatis, ad quem Parochus non tenetur, etsi Missam celebret de *Requiem* [3]. Quod si aut familiares, aut alii pro eo stipendium pro Missa lecta, non vero pro cantata solvere valeant, Ecclesia concedit, ut Missa de *Requiem* legere liceat et quidem iisdem diebus quibus cantata permittitur, et dummodo in Dominicis aliisque Festis de præcepto non omittatur Missa Officio diei currentis respondens [4].

356. Quoad alterum: Missa de *Requiem*, præsente cadavere, celebrari potest omnibus diebus; tantum, præter tempus Expositionis publicæ SS. Sacramenti, et alterum triduum Majoris hebdomadæ, prohibetur in duplicis primæ classis festivis de

1) S. C. C. 26 Januarii 1771.
2) S. R. C. 21 Febr. 1896, n. 3887.
3) Cf. **De Herdt** *S. Lit. Pr. III. 236.*
4) S. R. C. 9 Maji 1899, n. 4024.

præcepto (excipe ferias secundam et tertiam post Pascha et Pentecostem, ubi de præcepto sint), in Festis S. Joseph, et Dedicationis et Titularis Ecclesiæ, imo et Nativitatis S. Joannis Baptistæ, etsi festiva non sint : non prohibetur in Festo Ss. Cordis Jesu. Verum si quo die Dominico vel festivo, etiam ex suppressis, si onus est applicandi pro populo, funus fiat in Ecclesia, in qua non nisi Parochus Missam celebret, hic, præsente cadavere, Missam celebrabit de die. Quando Exsequiæ celebrantur absente cadavere ob civile vetitum, vel morbum contagiosum, vel aliam gravem causam, sed nondum eo sepulto, vel etiam sepulto, at non ultra biduum ab obitu vel depositione, corpus retineri potest, quoad Missam, tamquam physice præsens [1].

Missa dicitur quæ exstat in Missali *in die obitus* de qua hæc adverte :

a) Missam celebrare potest Sacerdos alius ab eo qui Celebrantis munere functus est, sive in delatione cadaveris ad Ecclesiam, sive in Officio [2] ; congruum vero est, ut qui Missam celebrat, idem et faciat Absolutionem super feretrum. *b*) Cantari debent Introitus, Sequentia, Offertorium, et Communio ; ad summum omitti poterunt quædam strophes Sequentiæ. *c*) In Officiis Defunctorum organa non pulsantur ; in Missis autem, si musica adhibeatur, silent organa quum silet cantus [3]. *d*) Si oratio funebris habeatur, ea fiat post Missam a Sacerdote (numquam a laicis) vestibus nigris induto absque cotta et stola [4].

1) S. R. C. 1 Dec. 1891, n. 3755, 3 Apr. 1900, ad I.
2) S. R. C. 21 Julii 1855, n. 3035, ad III.
3) *Cærem. Epp.* (edit. typ. 1886) *Cap. XXL. I. VII. n. 13.*
4) *Cærem. Epp. L. II. Cap. XI. n. 10 ;* quod in omnibus Ecclesiis servari debet. S. R. C. 14 Jun. 1845, n. 2888.

357. E. **De Absolutione ad feretrum.** — Post lectum Evangelium S. Joannis, Celebrans et Ministri (si adsint) descendunt per breviorem ad scamnum in cornu Epistolæ, ibique deponunt manipulos, Celebrans vero pro casula assumit pluviale: hoc assumere poterit, etsi Missam absque Ministris celebraverit; at si pluviale non facile haberi queat, stolam tantum retinebit super albam. In Processione ad feretrum præcedit Subdiaconus (vel Clericus) crucifer inter ceroferarios, sequitur Clerus, postremo Celebrans, et ab ejus sinistris Diaconus, quin fimbriam pluviali sustineat. Omnes procedunt capite cooperto [1]; si vero transeundum sit ante Altare SS. Sacramenti, omnes, præter cruciferum et ceroferarios, detecto capite genuflectunt. In hoc transitu ab Altari ad feretrum, nihil est recitandum [2]. Circa feretrum, crucifer sistit se ad caput Defuncti; quod si inter Defunctum et januam Ecclesiæ sistere debeat, procedit per latus Evangelii: ceteri de Clero ita se disponunt, ut digniores stent prope Celebrantem.

Celebrans cum Diacono sistere debet prope pedes, Defuncti paulisper in cornu Epistolæ, ut possit Crucem adspicere [3]. Ibi clara voce et paulisper elevata dicit orationem *Non intres*, in qua nulla fieri debet variatio. Dein cantores incipiunt Responsorium *Libera me Domine*: ad finem versus *Requiem*, Diaconus transit ad dexteram Celebrantis, ut, dum repetitur Responsorium *Libera* et navicu-

1) Juxta P. **A. Carpo** quoties Subdiaconus Crucem defert, toties Diaconus capite detecto incedit *Cærem. P. IV. 12, nota.*

2) S. R. C. 28 Julii 1832, n. 2696. ad II.

3) Advertit **Martinucci** nullibi præscribi ut Celebrans et Diaconus deferant candelam accensam: hinc procedant ambo manibus junctis.

lam et cochlear ministret, sine osculis quidem, át Benedictionem petendo. Versus *Kyrie* etc. canendi sunt a cantoribus; Celebrans tantum dicit *Pater noster*. Mox accepto a Diacono aspersorio, profunde erga Crucem Subdiaconi se inclinat, Diacono cum cæremoniario genuflectente, dein feretrum circuit ad suam dexteram procedens, ipsum vero aspergens primo a latere sinistro ad pedes, medium et caput, dein a dextero ad caput, medium et pedes: dum ante Crucem transit, aut Altaris aut Subdiaconi, se profunde inclinat (ante Altare SS. Sacramenti genuflectit); Diaconus et cæremoniarius semper genuflectunt. Post aspersionem, reddit Diacono aspersorium et, accepto thuribulo, corpus eodem ritu thurificat. In pristinum locum reversus, manibus junctis, Diacono interim seu alio ministro sustinente Missale, dicit *Et ne nos inducas* etc. cum iis, quæ in Rituali subnectuntur.

358. Quum olim sepulchra essent in Ecclesia, aut Ecclesiæ contigua, Rituale præscribit, ut dum cadaver eo defertur, cantetur Responsorium *In paradisum*; canticum vero *Benedictus* cum precibus reservatur cantandum in Cœmeterio. Nunc, quum Cœmeteria distent ab Ecclesia, praxis invaluit, ut non omnis Clerus cadaver ad sepulchrum associet, et tum antiphona, tum reliqua omnia statim ad feretrum in Ecclesia dicantur, etsi mox cadaver deferatur ad Cœmeterium: porro hanc consuetudinem servari posse declaravit S. Congregatio [1].

Itaque post Responsorium *In paradisum* Celebrans intonat antiphonam *Ego sum*, qua post canticum iterata, reliqua prosequitur, ut in Rituali. De his hæc advertimus: Versiculi *Kyrie* dicuntur a

1) S. R. C. 28 Julii 1832, n. 2696, ad I.

Celebrante ; corporis fit tantum aspersio, quam Celebrans facit in medio, a sinistris sui et a dextris in loco suo consistens ; in oratione *Fac quæsumus* non est addenda conditio Sacerdotis, tantum genus mutandum pro femina ; quum dicit *Requiem æternam* [1] signum Crucis super cadaver manu dextera efformat, sinistra interim pectori admota. Postquam cantores cecinerunt *Requiescat in pace*, Celebrans subjungit *Anima ejus* etc : quum Clerus responderit *Amen*, incipit sine cantu antiphonam *Si iniquitates* et Psalmum *De profundis*. Mox capite cooperto, præcedente Subdiacono crucifero cum ceteris de Clero, recitando Psalmum alternatim, redeunt omnes in sacristiam. Ibi Subdiaconus cum ceroferariis sistit in capite ejusdem, facie ad januam conversus ; quo cum venerit Celebrans, iterum capite detecto, repetit antiphonam *Si iniquitates*. Quod et preces subjungendæ sint et oratio *Fidelium*, patet ex editione typica Ratisbonensi Missalis pro Defunctis.

. Interim cadaver ad Cœmeterium defertur, uno saltem Sacerdote cum cotta et stola nigri coloris associante [2]. Hic laudabiliter Psalmos in via recitabit private; ritum deinde concludet in Cœmeterio, prout habet Rituale post *Benedictus*.

359. Sicubi mos sit, ut omnis Clerus cadaver ad Cœmeterium haud longe dissitum associet, Processio inchoatur post Responsorium *In paradisum*, preces vero et reliqua dicuntur in Cœmeterio [3].

Alicubi mos est, ut delato corpore in Ecclesiam horis vespertinis, ibidem, vel in loco adjacenti ser-

1) In ritu emortuali heic tantum hoc signum præscribitur.
2) S. R. C. 15 Julii 1876, n. 3405.
3) Cf. *Ephem. Liturg. 1889* pag. 683.

vetur, ut die sequenti Officium et Missa præsente cadavere celebrentur. In eo casu pridie cantetur pars Exsequiarum usque ad orationem *Non intres* exclusive; reliqua peragantur die sequenti post Missam [1].

Si cadaver adhuc insepultum sit, sed in Ecclesiam deferri prohibeatur, haberi potest ut præsens: specialis erigatur tumulus, ex quo fideles id valeant dignoscere; dicantur invocatio *Non intres*, canticum *Benedictus* cum orationibus consuetis [2].

Benedictio sepulchri, quæ habetur in Rituali Cap. 3 n. 12, fieri tunc tantum debet, quum Cœmeterium non fuit benedictum, aut quum in Cœmeterio benedicto non quidem fovea sepulchralis effoditur, sed crypta vel sepulchrum lapideum ædificatur. Si Exsequiæ expletæ sunt in Ecclesia, Sacerdos associans benedicat sepulchrum ante quam dicat *Kyrie eleison.*

360. Non conveniunt Auctores quid agendum sit quando Exsequiæ minus congruere videntur, ratione sive temporis, sive loci, propter solemnitatem, quæ ea die, aut in Ecclesia universa, aut in particulari, celebratur. Juxta quosdam viderentur non peragendæ solemniter in fere omnibus duplicibus primæ classis; juxta alios tantummodo in altero triduo Majoris hebdomadæ, Festis Paschatis, Pentecostes et Nativitatis D. N. J. C., et forte in particularibus Ecclesiarum solemnitatibus, quæ cum pompa et extraordinario populi concursu celebrentur. Hisce diebus docent utrique Exsequias, si differri nequeant, agendas esse privatim, sine pompa et horis tantum vespertinis. Verum S. Rituum Congregatio

1) *Rit. Roman.* et S. R. C. 11 Junii 1880, n. 3515, ad VI.
2) Cf. *Ephem. Liturg. 1890* pag. 457.

interrogata : « An Exsequiæ pro Defuncto, cum effertur corpus, expleri valeant in Ecclesiis, diebus festis solemnioribus primæ classis ? »; Respondit : « Negative ; et hujusmodi funera transferantur ad sequentem diem, aut saltem ad horas pomeridianas post diei Festi Vesperas, et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali æris campani sonitu » [1].

CAPUT V.

De Officio faciendo absente corpore Defuncti.

361. Nomine *Officii*, juxta acceptionem Ritualis, intelligimus complexum agendorum sive pro uno, sive pro pluribus Defunctis, quæ fiant absente cadavere.

Porro, prætermisso duplici casu, eo nempe quo cadaver adhuc inhumatum nequeat deferri in Ecclesiam, et eo quo illud terra traditum jam fuerit sine Missa exsequiali, dummodo biduum ab obitu vel sepultura non excesserit (tunc enim idem cadaver tamquam præsens habetur, prout diximus n. 356), triplex alius contigere potest casus : *a*) Quod Officium fiat quum accipitur nuntium mortis alicujus in loco dissito ; *b*) quod fiat post depositionem Defuncti diebus tertio, septimo, trigesimo, aut anniversario ; *c*) quod extra hos dies Officium fiat, sive pro uno, sive pro pluribus Defunctis.

362. Generatim in media Ecclesia, vel ante sacellum in quo Officium est celebrandum, erigendus

1) S. R. C. 27 Jan. 1883, n. 3570, ad I.

est tumulus funereus, scilicet moles quædam in modum tumuli sepulchralis plus minusve honorifice exstructa, quam exornare licebit tum pannis nigri coloris, tum insignibus proprii gradus vel dignitatis, aut stemmatibus gentilitiis; circum apponantur intorticia candelabris emortualibus infixa: at nullatenus licet baldacchinum super tumulum erigere, etsi Officium fiat pro Episcopo aut ipso R. Pontifice, vel imaginem defuncti in tumulo exponere; oppositæ vero consuetudines erunt omnino eliminandæ tamquam abusus [1].

Quæres: In Officio pro defuncto Sacerdote vel Episcopo, insignia Ordinis ponenda ne sunt super cornu respiciens Altare, an super oppositum?

Respondeo: Auctores quidam censent tumulum ita esse disponendum, ac si in eo corpus adesset, innixi forte formæ loquendi nonnihil obscuræ *Cærem. Epp.* L. II. Cap. XI. 15, 24 [2]; at praxis communior est, Romæ præsertim, ut pedes supponantur respicere Altare, et consequenter ea insignia ponantur super cornu ad januam Ecclesiæ respiciens.

In singulis casibus indicatis, tres partes generatim distinguuntur: Officium Defunctorum, Missa, Absolutio.

363. *Quoad Officium*; in primis duobus casibus Officium fit duplex, in tertio semiduplex; Invitatorium semper omittitur, nisi tres Nocturni dicantur; omnia dicuntur prout sunt in Rituali, nempe in numero plurali, exceptis precibus, in quibus ad numerum et genus est attendendum.

1) S. R. C. 5 Julii 1631, n. 568, 4 Julii 1879, n. 3500, 30 Apr. 1896, n. 3898.

2) Apud **De Herdt** *S. Lit. Praxis P. VI. n. 266.*

Sacerdotes et Clerici invitati, ut suam faciant eleemosynam, adsistere debent et materialiter, et formaliter. Si non cantantes vel psallentes adsistant, et, dum schola officium persolvit, ipsi alias preces, puta Breviarum recitent, fructus non faciunt suos : hæc recitatio Breviarii tolerari tantum potest tempore Missæ, dummodo adsint cantores ad hoc deputati [1]; forte ut præsentes censeri poterunt, qui occasione curæ actualis animarum, aut utilitatis Fidelium alio munere in Ecclesia detineantur.

364. *Quoad Missam,* diversæ sunt normæ pro singulis casibus assignatis.

In casu primo Missa cantari potest ut *in die obitus* omnibus diebus, exceptis Dominicis ac festivis de præcepto, duplicibus primæ et secundæ classis, diebus excludentibus duplicia eadem, seu infra octavam Epiphaniæ, Paschæ et Pentecostes, die octava Corporis Christi, feria quarta Cinerum, tota Majori hebdomada, vigilia Pentecostes et Nativitatis, diebus Rogationum in Ecclesiis Parochialibus ubi una celebratur Missa (si fiat Processio), et durante Expositione SS. Sacramenti ex publica causa.

In secundo casu, præter dies casus præcedentis, excipiendi sunt dies infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini et Corporis Christi. Si dies tertia, etc. in hos dies impeditos inciderit, Officium et Missa transferri possunt in diem *primam* antecedentem aut consequentem, quæ pari impedimento non laboret. Quod quidem valebit etiam pro anniversariis, sive fundatis pro die obitus vel alia determinata die, sive ad petitionem vivorum pro die obitus [2].

1) S. R. C. 9 Maji 1857 n. 3045, 11 Martii 1871, n. 3243.
2) S. R. C. 2 Dec. 1891. n. 3753. Ibidem conceditur quod

In hisce duobus casibus si Defunctus fuerit Pontifex, aut Cardinalis, aut Episcopus, dici *debet* prima ex quatuor Missis de *Requiem*, quæ sunt in Missali cum orationibus cuique propriis; si fuerit Sacerdos, dici *potest* prima vel secunda, cum oratione *Deus qui inter apostolicos*.

In casu tertio illis tantum diebus licet Missam cantare de *Requiem*, quibus licent Missæ de *Requiem* privatæ; hæ autem permittuntur die 2ª (vel 3ª) Novembris qua Commemoratio occurrit omnium Defunctorum, et diebus omnibus quibus Officium fit semiduplex aut simplex, si excipiantur Dominicæ omnes, feria quarta Cinerum, tota Major hebdomada, vigiliæ Nativitatis, Epiphaniæ et Pentecostes, dies infra octavas privilegiatas, et tempus quo expositum manet SS. Sacramentum ex publica causa. Missa dicenda *semper* est quarta; attende tamen ad Rubricam in fine ejusdem appositam; quam tunc maxime sequi oportebit, quum Officium pro die trigesima vel anniversaria solemne extra propriam diem celebrari contingat.

365. *Quoad Absolutionem super tumulum*, omnia fiunt eo ritu, quem supra exposuimus n. 357. Hæc tamen advertenda: *a*) Crux *semper* erit inter tumulum et januam Ecclesiæ; et proinde Celebrans *semper* inter tumulum et Altare paulisper in cornu Epistolæ. *b*) Post preces dicitur oratio *Absolve*, in qua mutatur numerus pro pluribus, genus pro femina, et additur conditio Sacerdotis vel Episcopi.

anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quæ a Communitatibus, Capitulis, Sodalitiis etc. pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent, vel quæ pro fidelium pietate infra Octavam omnium defunctorum locum habent, possint celebrari in duplicibus minoribus, exceptis diebus memoratis.

c) Ex Rituali, quod proprie agere videtur de prioribus duobus casibus, pro oratione *Absolve* dici potest oratio quæ dicta fuit in Missa, nempe post *Kyrie*, vel alia conveniens ex orationibus diversis, quæ ponuntur in Missali pro Defunctis. *d*) In casu tertio, quem specialiter forte respicit Missale (*Ritus celebrandi Missam* Tit. XIII. n. 4), videtur exclusive dicenda oratio *Absolve*. *e*) Quod monet Rubrica Missalis l. c. faciendum esse signum Crucis a Celebrante super tumulum dum dicit: *Requiem æternam dona ei Domine*, et versiculum *Requiescant in pace* canendum esse per cantores, id extendendum quoque videtur ad casus priores, ex paritate rationis et Auctorum consensu. *f*) In omnibus prædictis casibus, postquam Clerus respondit *Amen*, Celebrans subjungit: *Anima ejus* (vel *Animæ eorum*) *et omnium Fidelium Defunctorum* etc. [1]: nihil vero dicitur in die Commemorationis omnium Defunctorum. *g*) Quod in his quoque casibus dicendus sit Psalmus *De profundis* cum sua antiphona et precibus et oratione *Fidelium*, patet ex editione typica Missalis pro Defunctis; casus unicus excipitur, quod Absolutio in suffragium Defunctorum omnium peragatur.

CAPUT VI.

De Exsequiis parvulorum.

366. *Parvuli* generatim intelliguntur qui nondum usum rationis adepti fuerint; seu, juxta communem præsumptionem, qui nondum septimum annum compleverint; iisdem perpetuo amentes admunerantur. Ex illis, si qui *certe* absque Baptismo

1) S. R. C. 31 Augusti 1872, n. 3267, 11 Martii 1899.

decesserint, non sunt in loco sacro sepeliendi. Qui septennio non expleto usum rationis adepti esse videantur, haberi jure possunt ut parvuli quoad ritum exsequialem ; pro eis tamen licebit privatim et preces fundere, et SS. Missæ Sacrificium applicare. Verum qui expleverint septennium, quamvis et innocentia baptismali præditi a parentibus et a Parocho habeantur, non sunt ritu parvulorum sepeliendi, nisi alicubi inveterata habeatur consuetudo ; quam Parochus quidem imprudentissime inveheret, invectam vero curabit pro viribus abrogare. Curandum quoque est, ut juxta votum Ritualis Romani horum parvulorum corpora in loco a sepulchris adultorum separato, honoris causa, sepeliantur. Quoad signum emortuale servetur cujusque loci consuetudo ; at Rituale monet campanas, si pulsentur, festivo sonitu pulsandas esse.

Ordo sepeliendi parvulos constat triplici parte; nempe elatione a domo ad Ecclesiam, precibus in Ecclesia, et deductione ab Ecclesia ad Cœmeterium.

367. A. **Deductio cadaveris a domo ad Ecclesiam.** — Aptissime pueri corpus habitu festivo inducitur, et corona ex floribus, seu herbis odoriferis et aromaticis non modo capiti, sed et ipsi feretro imponetur in signum integritatis carnis et virginitatis. Eadem de causa servari certe potest consuetudo, ut feretrum lodice alba, seu alius coloris festivi obtegatur, et a juvenibus festivo habitu indutis deferatur. Num decens sit, ut puellæ corpus deferatur a puellis, dubitant quidam: at quum nulla obstet Rubrica, nullum S. R. Congregationis Decretum, si Parochus hunc morem invenerit, eumque nulli abusui noverit experientia esse obnoxium, illum poterit absque scrupulo servare. Clerus induit superpelliceum, cui Parochus vel Sacerdos celebrans

superimponit stolam coloris albi; Processio ab Ecclesia ad domum Defuncti, et ab hac ad Ecclesiam fit præcedente Cruce, quæ sine hasta defertur: de candelabris circa Crucem nullibi fit mentio; item nec de candelis circa feretrum; tamen has non modo licite, sed et congruenter in honorem innocentiæ baptismalis deferri, admittunt Auctores omnes; unde et candelæ circa Crucem convenientissime deferendæ videntur.

Parochus, quum prope domum Processio ordinata fuerit, omniaque jam sint parata, corpus ter aspergit Aqua benedicta nihil dicens; dein incipit antiphonam *Sit nomen Domini*; eâque post Psalmum repetitâ, corpus effertur et inchoatur Processio. Psalmi sine antiphona recitantur ut in Rituali pro longitudine itineris; ad ingressum Ecclesiæ, truncato Psalmo, apponitur *Gloria Patri* etc.

368. B. **Preces in Ecclesia.** — Deposito feretro in medio Ecclesiæ, Celebrans incipit cum cantu antiphonam *Hic accipiet* et Psalmum *Domini est terra*, ceteris de Clero, vel cantoribus respondentibus; et reliqua prosequitur ex Rituali. In utraque oratione *Omnipotens*, si funus puellæ fiat, videntur substitui posse verba *animam hujus parvulæ* juxta morem orationum in Exsequiis adultorum. Quæ sequuntur ex Rituali dicenda sunt in delatione cadaveris ad Cœmeterium, siquidem statim deferatur; quod Cœmeterium, ut supra vidimus, contiguum Ecclesiæ supponitur: at si non statim deferatur, ea omnia peragenda sunt super cadaver in Ecclesia. Porro, juxta hodiernam disciplinam, patet hæc omnia dicenda esse in Ecclesia, etsi mox cadaver ad Cœmeterium deferatur, prout fieri quoque solet pro adultis.

Quæri potest: Num possit inter præcedentia et

sequentia interponi Missæ celebratio, ut alicubi fieri solet. — Quum certum sit nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo Jesu, edocendi sedulo sunt Fideles hos parvulos precibus Ecclesiæ ipsoque Missæ Sacrificio non egere; hinc Missam pro eorum anima nullatenus licebit celebrare. Verum nihil obstat, præsertim ubi talis sit consuetudo, quominus celebretur hac occasione etiam cum cantu et solemniter Missa de die occurrente ad gratias Deo referendas quod animam infantis in cœtum Angelorum adsciverit, et auxilia a Deo nobis impetranda, quibus et nos gloriæ cœlestis participes efficiamur. Item convenienter celebratur Missa de Angelis; hoc tamen advertendo quod hujusmodi Missam nec legere, nec cantare licebit, nisi ritus dici Missas votivas privatas admittat [1].

369. C. **Deductio cadaveris ab Ecclesia ad Cœmeterium.** — Post inchoatam antiphonam *Juvenes*, cantatur Psalmus *Laudate Dominum de cœlis;* cui, post antiphonam, subjiciuntur preces et oratio, ut in Rituali. Dein Sacerdos, imposito incenso in thuribulo, aspergit ter, et ter thurificat tum corpus, tum etiam tumulum separatim. Omnes hæ preces, juxta hodiernam disciplinam, dicuntur super feretrum in Ecclesia; at jure dubitare licet de aspersione ac thurificatione; laudabilis quidem Parochus est, qui et utramque faciat super feretrum in Ecclesia, et aspersionem quoque super ipsum in Cœmeterio; at forte non improbandus qui hanc tantummodo faciendam esse censeat.

In reditu a Cœmeterio ad Ecclesiam, vel, juxta morem hodiernum, a media Ecclesia ad Altare, Sa-

1) S. R. C. 8 Febr. 1879, n. 3481, ad II. 30 Januar. 1880, n. 3510.

cerdos cum Clero cantabit canticum *Benedicite* cum sua antiphona, etc. Sacerdos, qui privatim associat cadaver ad Cœmeterium, poterit in via recitare Psalmum *Laudate Dominum*, et preces cum sua oratione absolvere in Cœmeterio.

370. Exsequiæ parvulorum minus quam adultorum videntur solemnitatem quorumdam dierum dedecere: in altero triduo Majoris hebdomadæ peragendæ sunt privatim et submissa voce; in fine Psalmorum omitti potest *Gloria,* at non necessario debet.

Atque his finem facimus commentario in Rituale Romanum ejusque Appendicem; quo confidimus satis clare ea omnia proponi, quæ in administratione Sacramentorum et Sacramentalium Sacerdotibus usui esse possunt.

Soli Deo honor et gloria.

Index Generalis

Prolegomena de Rituali Romano

Cap. I. De Rituali ejusque materia . . . . . pag. 9
» II. De auctoritate Ritualis Romani . . . . » 11
» III. De normis, quibus discernuntur Rubricæ præceptivæ a directivis . . . . . » 15

Pars prima

LITURGIA SACRAMENTORUM

TITULUS I. **De Sacramentis in genere.**
Cap. I. De Liturgia Sacramentorum . . . . . » 21
» II. De iis, quæ ex parte Ministri requiruntur . » 24
» III. De iis, quæ in ipso ministerio requiruntur . » 27
TITULUS II. **De Sacramento Baptismi**
Cap. I. De Baptismo ejusque ritibus essentialibus. » 30
» II. De Ministro Baptismi . . . . . » 32
» III. De Patrinis . . . . . » 34
» IV. De Baptisterio, et de Aqua ejusque Benedictione . . . . . » 36
» V. De sacris Oleis, ac de Sale . . . . . » 39
» VI. De linteolo et candela . . . . . » 42
» VII. De loco, in quo administrandus est Baptismus . . . . . » 43
» VIII. De tempore, quo est administrandus Baptismus . . . . . » 46
» IX. De nominibus imponendis . . . . . » 49

Cap. X. De prima parte ritus baptismalis, seu de Catechismo . . . . . p. 50
» XI. De altera parte ritus baptismalis, seu de Initiatione . . . . . » 53
» XII. De Baptismo in domo privata collato . . » 59
» XIII. De supplendis cæremoniis super infantem privatim baptizatum . . . . . » 61
» XIV. De reliquis ad Sacramentum Baptismi pertinentibus . . . . . » 63
Titulus III. **De SS. Eucharistiæ Sacramento.**
Cap. I. Prænotiones de materia nobis tractanda . » 64
» II. De SS. Sacramenti conservatione . . . . » 65
» III. De SS. Sacramenti renovatione . . . . » 71
» IV. De distributione SS. Eucharistiæ in Ecclesia » 74
» V. De Communione solemni in Ecclesia . . » 83
» VI. De Communione infirmorum . . . . . » 88
» VII. De expositione privata SS. Sacramenti . » 100
» VIII. De expositione publica SS. Sacramenti . » 104
» IX. De expositione solemni SS. Sacramenti pro adoratione XL Horarum . . . . . » 113
Titulus IV. **De Sacramento Pœnitentiæ.**
Cap. I. Prænotiones de materia nobis tractanda . » 131
» II. De loco, in quo Sacramentum Pœnitentiæ ministrandum est . . . . . » 132
» III. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ . . » 135
» IV. De ritu hujus Sacramenti ministrandi . . » 138
Titulus V. **De Sacramento Extremæ Unctionis.**
Cap. I. De natura hujus Sacramenti, ejusque materia et forma . . . . . » 142
» II. De Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis » 146
» III. De ritu hujus Sacramenti conferendi . . » 150
Titulus VI. **De Sacramento Matrimonii.**
Cap. I. De natura propria hujus Sacramenti . . . » 155
» II. De Sacerdote quasi-ministro hujus Sacramenti . . . . . » 157

Cap. III. De loco ac tempore, quo celebrandum est Matrimonium . . . . . p. 159
» IV. De sponsis . . . . . » 161
» V. De ritu hujus Sacramenti celebrandi . . » 164
» VI. De Benedictione Nuptiarum . . . . . » 167

Pars altera

LITURGIA SACRAMENTALIUM

Titulus I. **De Sacramentalibus in genere.**
Cap. I. De natura et divisione Sacramentalium . . » 175
» II. De effectibus Sacramentalium . . . . . » 179
» III. De Ministro Sacramentalium . . . . . » 184
Titulus II. **De Benedictionibus.**
Cap. I. Notiones præviæ . . . . . » 188
» II. Divisiones præcipuæ Benedictionum . . . » 194
« III. De Benedictionibus R. Pontifici reservatis » 198
» IV. De Benedictionibus reservatis Episcopis . » 212
» V. De Benedictionibus, quæ spectant ad jura parochialia . . . . . » 222
» VI. De Benedictionibus cuicumque Sacerdoti communibus . . . . . « 229
» VII. De Benedictionibus propriis quorumdam Ordinum religiosorum . . . . . » 236
Titulus III. **De Processionibus.**
Cap. I. Notiones præviæ . . . . . » 261
» II. De Processione in Festo Purificationis B. M. Virginis . . . . . » 270
» III. De Processione in die Palmarum . . . » 275
» IV. De Processionibus Rogationum . . . . » 278
» V. De Processione in Festo SS. Corporis Christi . . . . . » 283
» VI. De Processionibus cum Reliquiis Sanctorum » 290
» VII. De reliquis Processionibus . . . . . » 300

Titulus IV. **De Exorcismis.**
Cap. I. De exorcizandi potestate . . . . . p. 303
» II. De Exorcismo simplici . . . . . » 305
» III. De Exorcismo solemni . . . . . » 307
Titulus V. **De agendis pro Defunctis.**
Cap. I. De pietate erga Fideles Defunctos . . . . » 310
» II. De ecclesiastica sepultura . . . . . » 312
» III. De juribus et obligationibus Parochorum quoad Exequias . . . . . » 321
» IV. De Exsequiis præsente cadavere . . . . » 324
» V. De officio faciendo absente corpore Defuncti » 340
» VI. De Exsequiis parvolorum . . . . . » 344

INDEX ALPHABETICUS

rerum notabilium

QUÆ IN INDICE GENERALI NON EXPRIMUNTUR

INDICANTUR NUMERI MARGINALES ET SIGNO (*) NOTÆ

Absolutio: a peccatis et censuris, 137 seqq. — ad feretrum, 357 — super tumulum, 365.

Altare: pro Baptismo, 40 — Eucharistia asservanda, 70 — et publ. exponenda, 107 — adorat. XL Hor. 117 — rebus benedicendis, 190.

Aqua benedicta: aspersio in Dominicis, 236 — usus et effectus, 237 seq.

Baldacchinum: super altare, 71 — in nuptiis, 164 — in processionibus cum Reliquiis, 307, 310.

Benedictio: fontis, 30 — cum Sacramento in Pyxide 100 — in Ostensorio, 107 — pluries in die, 108 — in adoratione XL Hor. 110 (1) — formularia, 191 — super populum, 196 seqq. — in artic. mortis, 199 seqq. — coronarum, crucium etc. 204 seqq., 240 — indumentorum, 210 seqq. — Pyxidis, 212 — novæ Crucis, 218 — imaginum, 219 — novæ Ecclesiæ, 220 — campanarum, 221 — contra animalia nociva, 221 — mulieris post partum, 222 seqq. — domorum, 228 seqq. — vestium, 230 — aquæ, 232 seqq. — in Dominicis, 235 — agrorum, 239 (2) — olei 240 — vexilli, 240 — candelarum 282 — palmarum, 287 seqq. — cum Reliquiis 313 — sepulchri 359.

Cantus: in Ecclesia, 85, 104, 107.

Cereus: in Baptismo 36, 57 — in Communione, 80 — in defer. Viatico, 92 seq. — in Expos. Sacramenti 99, 101, 102 — pro adoratione XL Hor. 115 — in funeribus 343 (1), 350, 367.

Cœmeterium: pollutio, 337 seq. — reconciliatio, 217, 339.

Communio: color stolæ, 78 — et bursæ, 80 — usus tabellæ metallicæ, purificatorii et patenæ, 74, 82, 83 — Communio Monialium, 80 — prima puerorum, 84 — generalis, 86 — jejunium serv., 88 (1) — in nosocomiis, 98 — in Expos. XL Hor., 118 seq.
Conopeum: fontis baptismatis, 28 — tabernaculi, 71, 102.
Crucifixus: in Expos. Sacramenti, 117 — benedictio, 206, 217 — cum indulgentiis Viæ-Crucis, 248 — in processionibus, 276.
Diaconus: baptizans, 22, 23 (1) — in Communione, 76, 81, 82, 86 (2) — quoad Viaticum, 87, 97 — in Expos. Sacramenti, 103, 106 seqq., 111 seqq. — in benedictionibus 189 — quoad osculum Reliquiæ, 313.
Ecclesia: quoad fontem baptism. 29 — Eucharistiam 69.
Eucharistia: genuflexio, 103, seqq., 121, 112, 114, 126. — tabellæ super Altare, 117 — collectæ in Missis, 121 seq. concionator in Exposit. Euch. 124 — campanula, 125.
Exsequiæ: in Expos. pro adoratione XL Hor. 123.
Funus: emolumenta, 342 — ornatus, 349, flores, 349, 367 — currus, 352 — signum emortuale, 345, 366 — stragulum, 348.
Imagines: in Expos. Sacramenti, 102 (4) — in processionibus cum Sacramento, 297.
Incensatio: Sacramenti post Communionem Infirmorum, 97 — in Exposit. privata, 99 (1) — solemni, 104, 107 — pro adoratione XL Hor. 112 — Reliquiarum, 311.
Indulgentiæ: in Communione Infirmorum, 89, 97 — Coronarum, 207, 250 — Viæ-Crucis, 247 — amissio 252 seqq.
Infirmi: quoad Communionem, 88 — quoad exercitium Viæ-Crucis, 248.
Inserviens: in Sacramentis 17 — in Baptismo 24 — in Communione, 79 — in Missa, durante Expos. Sacramenti, 125 — in Extr. Unctione, 148 — in Matrimonio, 158 — in benedictionibus, 150 (5).
Lotio manuum: in Baptismo, 22, 57 — in Eucharistia 78.
Matrimonium: per procuratorem, 166 — mixtum 174 — annulus nuptialis, 168.
Missa: Expositionis Sacramenti, 111 — de *Requiem* in Expos. Sacram. 117, 120, 122, 123 — pro sponsis, 171 — in festo Corporis Christi, 298 — exsequialis, 355 seqq. 364.
Officium Defunctorum, 354.
Olea sacra: in Extr. Unctione. 142 — ubi retinenda, 32, 143.
Parochus: in Baptismo, 22 — in Communione, 76, 84, 87 — in Extr. Unctione, 146 — in Matrimonio, 156 — in benedictionibus, 222 seqq., in funeribus, 340.

Patrinus: responsiones vernacula lingua, 49 — in Bapt. privato, 59 — cognatio spiritualis, 25, 60 (1) — in prima Communione puerorum, 85.
Processio: origo, 270 seqq. — ordo 274 — in Feria VI. Parasceves, 302 — impetratoriæ, 315 — eucharisticæ, 316 — pœnitentiales, 317 — funeralis. 351.
Reliquia: in Expos. Sacramenti, 102 — veneratio et recognitio, 304 — S. Crucis 305 — ex pretiosiss. Sanguine J. C. 306 — translatio, 307 — expositio, 310 seqq. — genuflexio, 312.
Scapulare: benedictio et impositio, 256 seqq. — SS. Trinitatis, 262 — SS. Crucis et Passionis, 263 — de Carmelo, 264 — Cæruleum, 266 — quatuor scapularia, 268.
Sepultura: quinam prohibentur, 331 seqq.
Umbella: in Communione, 85 — in Expos. Sacramenti, 144 — in repositione, 126.
Unctiones: in Baptismo, 53, 56, 60, 64 — in Extr. Unctione, 144 seq., 151 seq. — cum pennicillo, 53 (2), 151.
Vasa sacra: Oleorum, 32 — Pyxis, 72 — Pyxidis et patenæ purificatio, 75, 96 — operculum, 82 — theca pro Viatico 91, 93. — Ostensorium, 102 — benedictio, 221.
Vestes: in administrandis Sacramentis, 15,16 — in Baptismo, 23 — in Communione, 78 — in Communione Infirmorum, 90 — in Expos. Sacramenti, 99, 103 — in processione cum Sacramento, 112 — in Pœnitentia, 135 — in Extr. Unctione, 147 — in Matrimonio, 157 — in Sacramentalibus, 187 — in benedictionibus, 190 — in processionibus, 273 — in funeribus, 347.
Vexilla: benedictio, 240 — in processionibus, 277 seq. — in funeribus, 335, 352.
Via Crucis: benedictio et erectio, 242 seqq. — indulgentiæ, 247 — exercitium, 246 seqq.

Correctiones et Additiones

Pag. 34, nota 3, linea 8: consurâ, *corrige:* censurâ.
» 38, » 2, » 1: *adde:* 9 Dec. 1899, n. 4049.
» » » » » 4: *adde:* Item S. R. C. 4 Sept. 1880 n. 3524, ad V.
» 66 » 1, » 2: *adde:* et S. R. C. 17 Apr. 1644 n. 860.
» » » 2: *adde:* Cf. S. R. C. 12 Sept. 1626 n. 420.
» 96, » 24: sit, *corrige:* si.
» 122, » 4, » 1: 1714, *corrige:* 1741.
» 125, » 2: *adde:* cf. etiam S. R. C. 3 Julii 1896 n. 3924, ad IV.
» 126, » 6, » 3: *adde:* Ipsa decantatio Officii Defunctorum, durante Expositione, prohibetur. S. R. C. 27 Mart. 1799 n. 2513.
» 138, » 26: *ut, corrige: tu.*
» 145, » 6: essentiam e, *corrige:* essentiam.
» 165, » 29: Ordinari, *corrige:* Ordinarii.
» 167, » 7: annullum, *corrige:* annulum.
» 170, » 12: prigilegiata, *corrige:* privilegiata.
» 180, » 2, » 3: quas, *corrige:* quæ.
» 218, » 2: et, *corrige:* est.
» 219, » 3, » 3: *adde:* at cf. S. R. C. 14 Aug. 1894 n. 3835.
» 266, » 1, » 4: *adde:* S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 2869

2560

284.3 Pighi, John Baptist
P63 Liturgia Sacramentorum
et Sacramentalium

DATE

~~283~~ 284.3
P63